

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-FORENSIS,

DE

MORBIS SIMULATIS AC DISSIMULATIS,

QVAM

DEO AUXILIANTE

IN ILLUSTRI CHRISTIAN-ALBERTINA

PRAESIDE

PRO-RECTORE H. T. MAGNIFICO

DN. CAROLO FRIDERICO
LUTHERO,

MEDICINÆ DOCTORE ATQUE PROFESSORE

LONGE CELEBERRIMO

PATRONO AC FAUTORE SUO ÆTATEM VENERANDO,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS AC PRI-

VILEGIIS LEGITIME AC RITE CAPESSENDIS,

DIE XXVII. NOVEMBRIS ANNO M DCC XXVIII.

H. L. Q. C.

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SUBMITTIT

WILHELMUS HENRICUS
Saldtſchmidt.

KILIÆ,
LITTERIS REUTHERIANIS.

27

1728, 1

DIESER GUTACHTEN UND CURA
WILHELMI GOTTLIEB

DR

MORIS SIMILATIS
ACCOLATIS

IN HISTORIS CHRISTIANIS
PROLEGOMENIS MAGNITUDIS

DE CAVENDISH TRIBUNALIS
LITERIS

WILHELMUS HOOGENFELDENS
HISTORICUS ORTHODOXUS
LATRONON ETATIENSIS ET ALIA
SACRA GRANDI DOCUMENTO
SUMMISQ; ARTIS SARTIIS HONORIBVS AC LIT-
ERIS
HISTORIS PISCATORIIS RICCHISSIMIS
ET HABITATIS TERRITORIIS
TERRITORIIS ETATIENSIS
WILHELMUS HOOGENFELDENS

LIBER
VATENS
LITTERIS REUTHERIENSIS

Q. D. B. V.



um in omni vita genere fictiones occurrant, modo laudabiles, modo cum mendacis pari ambulantes passu: quid mirum, si nec Medici sibi gratulari queunt, subjecta praxeos sua semper esse genuina? siquidem experientia locuples est testis, dari nonnunquam agros sicut tantum tales; alio vero tempore actu praesentes morbos celari ac negari ab ægrotis. Hinc non inutile judicavi, Speciminis Inauguralis loco de Morbis Simulatis & Dissimulatis agere. Ante vero quam hunc in me suscipiam laborem, Altissimum Numen humillimis invoco precibus, velit me in omnem veritatem ducere, conatusque meos ita fortunare, ut in Societatem Civilem aliquid exinde commodi derivetur!

Th. I.

Quae non sunt, simulo: quæ sunt, ea dissimulantur. Ac proinde Simulatus Morbus dicetur ille: qui nec actu praesens, nec affligens sermone & gestibus studio refertur ac effingitur; Dissimulatus autem Morbus: qui actu praesens atque affligens celatur ab ægroto. Cujus Definitionis occasione non possum non notare, Autorem Dissertationis de Agroto Mendace sub Praesidio Cl. Vesti Erfordie 1711. habite longius a veritate abesse, quando §. s. sibi persuadet, simulati etiam morbos ex simplicitate atque ignorantia. Certe exemplum, quod ex Parentis mei summe venerandi Dissert. de Imaginatione Hominum & Brutorum pag. 10. adducit, ad imaginarios morbos erit referendum a simulatistoto cælo differentes. Ut vero ignoti nulla est cupidus: ita impossibile est, illum simulare morbum, qui num adsit nec ne? ignorat homo. Qui cor male affici perhibent, mali sede in ventriculo

A

culo

culo hærente; qui mere scorbutici existentes nephritidem accusant; qui cruditatibus primarum viarum laborantes, de phthisi conqueruntur &c. non simulant, uti Auctor putat, sed ignorant morbum, qui eos infestat ejusque sedem. Contradictorium itaque est, morbos ex ignorantia simulari. Idem proponendum de simplicitate esto judicium, utpote quæ cum ignorantia magnopere convenit.

Th. II.

Primo autem morbos simulari solitos in medium adducere liceat. De hoc genere adeo sunt multi, (loquacem deflasare valent Fabium) ut, si omnes recensere vellem, magna molis tractatus foret conscribendus. Quamobrem ni-miam prolixitatem evitaturus hic non agam (1) de morbis, qui vel ipsi leviores sunt, vel leviores ob causas finguntur, aut in quibus vel cognoscendis vel curandis nullum a Medico auxilium expetitur. Sic e. g. quem latet, mendicos manuum amputatione, claudicatione similive morbo dolose plerumque efficto ad opus misericordiae praeterentes in viis publicis allicere: quos tamen, mox scipione, cui innitebantur, manibus apprehenso, pristinam agilitatem pedum manuumque usum recuperasse, jucundo spectaculo non raro viderimus. Hujusmodi farinæ hominibus datus triobolus est panacea, & longam gratiarum seriem extorquet. (2) Taliū porro expositione supersedebo morborum, quos variis quæ relis mentiri quidem, non tamen secundum leges artis ita simulare valet quisquam, ut non facile ab omnibus fraus ista sentiatur, Medico vero accedenti statim in oculos incidat. Spectant huc omnes febres & illi morbi, qui febrem tanquam essentiale symptoma conjunctam habent. Effectus enim febrium, ex quibus collective sumatis actualis earum praesentia dignoscitur, nemo exacte imitari valet. Denique (3) nullam corum

corum mentionem faciam, qui legitimum ob finem, i. e. boni cuiusdam obtainendi vel mali averruncandi cognitione distincta prægressa, morbos interdum studio effingunt. Qualis dolus bonus ut eo melius succedat atque occultetur, peropus est, Medicus simul in consilium vocetur, ast non quis, sed qui silentium diutius tenere valet, quam cum est solus. Pertractandi igitur restabunt illi morbi, (1) qui tum majoris momenti finguntur ob causas, tum in se spectati sunt paullo graviore, (2) quorum certa & evidenter signa æque omnibus non patent, hinc arte vel potius fraude quadam fingi possunt; (3) qui plane illegitimum ob finem simulantur.

Th. III.

Ex Definitione supra data clarissime, nisi fallor, intelligitur, morbum simulari nullum posse, nisi similitudinis quid astute effingatur, quod verum morbum suo modo referat. Unde sponte elucescit, morbos, etiam si dolus adsit malus, non sine omni prudentia simulari, hominesque ad simulandum eo aptiores esse, quo majorem sapientiae gradum prudentiaeque possident. Quæ res cum ita sit comparaata, nemo inficias ibit, ad morbos factos dijudicandos, non modo accurata scientia Medica instructum, sed singulari etiam sagacitate præditum, judicio acri atque penetrante polentem, & prudentiae quam maxime laude conspicuum requiri Medicum. Semper autem quædam præcesserit suspicio necesse est, morbum, de quo queritur ægrotus aut quo laborare videtur, simulari duntaxat, non vere affigere; sive suspicio illa inter visitandum ipsi excitetur Medico, sive Jcto, qui de reis ob commissa crimina carceri inclusis & ægrotare incipientibus, saepius tale quid suspicatur, hincque a Medico expedit, ut post circumstantiarum sedulam indagationem sententiam suam aperiat, utrum verus adsit morbus, an fin-

A 2

ga-

gatur? Morbum enim alleganti fides non est adhibenda, nisi ex Medicorum assertione confiterit, uti perbene monet Stryckius de Jure sensuum diss. I. c. I. §. 39. p. 42. Quare non incongruum erit; si generales quasdam Regulas atque Cautelas præmittam, quibus probe observatis, & pro variante morborum indole nunc una alterave illarum, nunc pluribus insubsidium vocatis, factorum morborum diagnosis commode possit elici. Prima itaque eaque palmaria esto: Attente despiciatur, aliquid pathognomonicum signum, a morbo, qui simulari præsumitur, inseparabile, deficiat, nec ne? (2) Reliqua quoque morbi signa, symptomata, hominis temporementum & omnes tam antecedentes quam præsentes circumstantiae attendantur probe, & studiose inter se conferantur. (3) Variæ spinosæ captiosæque questiones de morbi indole confuse proponantur, dissimilate tamen & non sine judicio, ne fraus suboleat ægroto. (4) Frequenter visitatur æger, præcipue in ipso morbi paroxysmo. (5) Partis affectæ accurata fiat inspectio. (6) Ex domesticis, testibus fide dignis, & vigilibus hunc in finem data opera conductis, expiscari expedite circumstantias ad rem apprime facientes. *Conf. D. Mich. Alberti Systema Jurisprudentia Medica, cap. X. §. 4. 5.*

Th. IV.

Ad specialem jam pertractionem ut deveniam, facilius plerisque reliquorum huius fingi atque simulari possunt morbi, qui a sensorio communis destructo mentisque imperio graviter læso ortum suum trahunt. Quos inter Melancholia, Mania aliæque nonnullæ deliriorum species non postremum occupant locum, quas rei, ut supplicia ob commissum nefarium quodpiam & capitale crimen promerita evolent, modo proprio instinctu, modo aliorum, & eheu! Advocatorum irreligiosorum interdum sua fu malitiose sæpenumero simulant.

(10)

lant. Melancholiam primo quod attinet, ea aliquando de-
linquentes carceri inclusos vere corripi mirandum non est; *lia simulacrum* animus facinorum recordatione perturbatus, simulac con-
Melancho-
ta.
scientia sensim evigilarit, nunquam timore ac mœrore sit va-
cans, unde istiusmodi tristibus ideis menti continuo obver-
fantibus, omnino temporis successu vera & confirmata Me-
lancholia accedere omneque mentis in corpus imperium de-
struere potest. Quapropter sane eo majori circumspectione
Medicus suspecto in casu consultus in omnes inquirere cir-
cumstantias debet, ne in judicio suo coram Judice deponen-
do (de corio enim humano hic luditur) hallucinetur. Et ut
paucis multa comprehendam: Si testes probatae fidei affir-
ment, Melancholicum ante perpetratum scelus vel facinus
animo semper erecto & tranquillo incessisse; Si temperamen-
tum corporisque constitutio vividusque faciei color contraria
ostendant, & certo constet neque avum neque proavum i-
psius neque alium consanguineum Melancholicos fuisse; si
hominis sermones atque ad quæsita responsones varijs tem-
poribus nil alant absurdii, circa illa præcipue objecta, circa
quæ insanivit paulo ante; si, dum aliis remotis arbitris omni-
bus cum hunc in finem adornatis ac instructis custodibus ver-
ba facit, amentiam mirifice imminui, redeuntibus vero iis
quorum veritatem nosse interest, augeri ac intendi observe-
tur, idque repetitis vicibus ita accidat; denique si placido per
intervalla illum sepeliri somno vigiles referant; sane ex ho-
rum indiciorum collatione ac consideratione prudente con-
cludere omnino fas est: non vera captivum affici melanco-
lia, certissime non confirmata. De hac enim unice hic quæ-
stio movetur; quæ est in Fieri, sive gradum nondum acqui-
savit tantum, ut mens directionem in voluntatis instrumenta
penitus amiserit, neminem a poena liberabit, & a nemine
fortassis simulabitur.

A 3

Th. V.

Th. V.

Equidem indigitata methodus & Medici & Jcti desiderium plerumque explebit. Quodsi vero criminis reus tunc demum atrabile agitari incipiāt, quando jam per dimidiatum anni spatiū & ultra in carcere asservatus, ibique miseria cum acetō acceptus, i. e. furfuraceo, sicco, mucido pane, & cerevisia tenui aut simplicissima aqua consolatus, atque ob insuetam solitudinem & diuturnitatem tempestatis incommodorum, valde fatigatus, afflictus, debilitatus somni pene expers redditus, & omni spe salutis orbatus fuerit; is profecto fronte vultuque minus alaci floridoque, sed emaciato & omni coloris decore destituto, corpore monogrammo ac lamentabili voce simulationem facillime sustinere poterit. Quare hoc in casu modo commemoratæ præscriptiones ad intimam dijunctionem morbi non totam paginam absolvant, verum alio præter illas adminiculo erit opus, cuius ministerio fraus fraude compensetur. Nimirum ægrotante infcio terebra perforetur lacunar vel janua carceris, ut per exiguum foramen, quinam melancholici sint gestus, solus quando est relicitus, an etiam tunc crines evellat, ruminetur atque secum colloquatur, (quod hoc mali genere affectis solis existentibus familiare esse solet,) aut cum pavimento ac parietibus contentiose disputet, oculis usurpare liceat. Hæc vero observatio vel eam ob causam repetitis vicibus diurno æque ac nocturno tempore est instituenda, quia non omnis Melancholia continuo tragœdias suas ludit, sed interruptum est interdum illud delirii genus, lucidaque intervalla habens; ut igitur nil certi definire conveniat, antequam res ipsa animadversione crebra satis fuerit perspecta.

§. VI.

Mania ficta In Pseudo-Mania, quæ præcedente affectu, quod ex mox

VIT

A

di-

dicendis liquido patescit, facilius longe detegitur, tanto investigationum apparatu Medicus non indiget. Quem enim, quæso, in arte Apollinea vel leviter versatum fugit, continuam Agrypniam ad plures septimanas imo menses protractam, intensissimi frigoris tolerantiam impunem, corporisque tam stupendum robur, ut ægri effrenato ejuscemodi furore exarsi catenas ferreas frangere foresque diffingere valeant, & ab oculo sepius hominibus robustis vix coerceri queant, essentialia maniaci furoris symptomata constituere? Spiritus quippe animales hoc in morbo admodum sunt activæ & vere igneæ naturæ, ætherive concentrato similes; ex quo, nisi fallor, fundamento recenti effectus deduci omnino debent atque derivari. Nam sanorum etiam corpore nimio agitato motu fit, ut illud tandem totum incalescat, frigusque impune ferat: quod cum in statu naturali contingat; quidni & in maniacis? Evidem me non latet, immane illud robur vimque fere Herculeanum, postquam per aliquot menses, imo unum alterumve annum duraverit jam morbus, interdum adeo imminui & decrescere, ut furenti audacie conatus reprimendo unicus homo sufficiat; aut vietu diutius subtrahere vires (prudente consilio) debilitati ægrotorum ad somnum iis conciliandum, hacque ratione ipsum morbum propulsandum, nil tamen impedit, quo minus istud in numero inseparabilem mania symptomatum habeam. Siquidem Medicus hic non post festum demum in consilium advocari solet, & præterea roboris paullatim contingens in imbecillitatem mutatio re ipsa criseos indolem obtinet, denotatque, vel malum brevi plane cessaturum, (minimum ad tempus, donec nempe novo subministrato fomite recollectis viribus tragediam redintegret) vel in Melancholiam aut Fatuitatem transiturum. Ideoque ex defectu præternaturalis muscularum roboris, &

ex

ex placido per intervalla obrepente somno simul summis, Māniam fangi, evidenter cognoscitur. Qui in his nondum acquiescit, ei auctor sum suasorque, ut super scelere & malitia suspectum, frigori externo, dummodo hiems prasto sit, per aliquod temporis spatium exponendum curet, advertatque probe, male ab illo afficiatur, horreat, rigeat nec nel. Vera enim mania laborantes hieme etiam gelidissima & nudo corpore per aliquot dies interdum sub dio egisse, neque tamen inde eorum conglaciatos fuisse humores, aut membra pernionibus sphaceloque correpta, tantum abest, ut quicquam incommodi frigorisque fenserint, exempla passim notata testantur. Alia indicia, oculos v.g. sine intermissione torvos & sanguine suffusos, &c. brevitatis causa ut nunc silentio præteream.

Th. VII.

Mentionem potius hoc loco injicere & re erit eorum, qui ut proprii commodi obtinendi causa testamenta facta irrita reddant, testatorem mentis compotem non esse, aut eo, quo condebat, tempore, non fuisse, simulate ad judicem deferunt. In hoc rerum statu consultus medicus prudenter se gerere debet, & considerate ad omnes circumstantias speciemque delirii allegati attendere, easque cum questionis subjecti atate, temperie, vite, mortum, aliarumque actionum genere studiose conferre, & potissimum respicere ad singularum mentis abalienationum individua & essentialia signa, ex quorum absentia vel praesentia facile renunciationem suam formare poterit.

Th. VIII.

Ad deliriorum sine febre contingentium classem Medici quoque Fatuitatem ac Stupiditatem referunt, siquidem & hæmentis abalienationem utique supponunt. Parum vero vel ni-

Fatuitas
simulata.

nihil hi duo affectus a se invicem differre videntur, præcipue
si stupiditatis definitionem a Dan. Sennorio Med. Pract. L. I.
cap. V. p. 292. & 293. suppeditatem admittere velimus, ubi ita
loquitur: *Stupiditas est symptomata imminutæ phantastie & ratio-*
cinationis, adeo ut homo stupidus parum aut male judicet. Quis
non videt, nihil huic definitioni inesse, quod non æque quo-
que fatuitati accommodari possit? Quoniam itaque in fatui
hominis cerebro magna adest idearum confusio, nulla clari-
ritas, nulla distinctio: nulla certe deliberatio, nulla veri bo-
ni appetitio, verique mali aversatio, nulla denique volun-
tas proaeretica, in stupido intellectu locum invenit. Hinc e-
juscemodi hominem, quodcunque facinus, quodcunque de-
lictum aut crimen perpetraverit, ab omni poena tam capitali
quam afflictiva corporis JCti recte absolvunt. Ast vero hac
ipsa liberatione & vacuitate poenarum capitalis aliusve atrocis
criminis rei ad poenas promeritas effugiendas quandoque astu-
te utuntur, vultu, sermone ac gestibus simulando fatui perso-
nam. Et sane fatuitas faciliter simulatur negotio, detedio au-
tem talis fictionis difficultatum est plenissima. Etenim gestus
agere ridiculos, ineptos, atque a mentis compotum homi-
nium moribus quam maxime alienos, linguam ore exserere,
ad interrogata vel nihil, vel absonta & absurdâ respondere,
aliaque fatuitatis indicia edere, in cuiusvis potestate est situm.
Ideoque magna circumspetione opus erit Medico a Judice in
consilium vocato ad hanc Amentias speciem veram a ficta di-
judicandam. Evidem antecedentia & anteaacta, (modo de iis
inter alios constet aut constare queat,) indagare, eaque cum
variis circumstantiis & signis praesentibus conferre, per est ne-
cessere; investigari nempe debet, an connatae fuerint dementes
tales ideaæ, tuncque ordinarie operculum cerebri non rite for-
matum aut caput monstrosum conspicere solet; an graviter o-

B

lim

lim caput sit læsum ex vulnere, lapsu graviori, verberibus, an epilepsia, mania aut melancholia laboraverit homo; item aningens ebrietas aut ebriositas præcesserit. Verum enim vero licet testes fide digni omni asseveratione affirmayerint, reum mente semper bene valuisse, prædictisque accidentibus nunquam fuisse obnoxium: tamen in iis solis acquiescere non sat is possumus. Subsunt namque interdum aliae causæ magis absconditæ & nos latentes, quæ fatuitatem sensim sensimque inducere sunt aptæ, v.g. venus immodica, quam occultissime plerumque exercere solent lascivæ libidini dediti. Interim caufarum evidentium absentia simulationis præsumptionem magnopere auget; & tunc non solum mitissimi illi torturæ gradus, terror verbalis, deductio ad carnificinæ locum, ubi tormentorum apparatum posci & parari videat inquisitus, apprehensio ejusdem carnificis manibus vestiumque detractio & alligatio, licite in usum sunt vocandi; verum etiam leviore, me judice, torturæ realis gradus, scilicet strictura pollicum & laxiorum funium tormentum tentari poterit, non tam ut homicidium aliudve nefarium facinus fateri cogatur reus, (hoc enim fatui plerumque sponte indicare solent,) quam cum præcipue in finem, ut sub equulei actu experiamur, an ne fortassis tunc ratione adhuc præditæ mentis indicia quædam manifesta compareant, aut ipse reus graviorum cruciatuum metu ad confessionem simulationis suæ adducatur. Quodsi vero frustra interrogetur, non immerito queritur, an sit absolvendus? Et respondent Jcti, utique, quia in re dubia melius est, nocentem dimittere, quam innocentem damnare; ita tamen, ut non libertati suæ relinquatur, sed associatis custodibus debite servetur, ne vel fuga ulteriori inquisitioni finem imponat, vel aliis mortem inferat, cum exempla prostent, vera fatuitate correptos. cum' aliorum ho-

mi-

minum vita egisse acsi luderent tesseris, exemplo mulieris in prædio Barenfleeth, filio guttur præcentis, filiam vero aquæ immersam crudeliter enecantis. Præterea per aliquot adhuc menses variis stratagematibus est circumveniendus fatuus suspectus, varia ipsi offerantur medicamenta morbo neque valde opposita neque nocentia, Medicus quoque elapso aliquo temporis spatio bonam remediorum efficaciam brevi futuram, spemque integratatis mentis mox reddituræ, ipso audiēnte, adstantibus prædicat, cæteraque apposite fiant, quæ fictioni denudandæ inservire queunt. Et si tandem horum mediorum interventu *Ciceronis effatum, simulatum quicquam non posse esse diuturnum*, quod in *Lib. de Offic.* habet, hic compleatur, fatuusque conditionis suæ pertæsus præter spem ac opinionem omnem ad sanitatem mentis redeat, extra controversiam erit positum, ex industria illum stupiditatem simulasse, eo quod vera fatuitas vel præstantissimorum remediorum efficaciam eludere soleat, & merito inter illos debeat referri morbos, qui utplurimum sunt incurabiles.

§. IX.

Inter morbos sensuum interiorum referri quoque solet Satanica Obsessio, quam, horribile dictu! lucri obtinendi causa homines interdum fingunt. Imposturæ ejuscemodi exemplum recenset *Montanus in Itinerario Gallico, & Borellus simulatum dæmoniacum describit Cent. IV. Hist. & Obs. rarior. Med. Phys. Obs. 47. p. 313.* Ut ne igitur, occurrente tali casu, fallamus ac fallamur in indagatione Obsessionis fictæ, ejusdemque dijudicatione a vera, caute, circumspete & prudenter omnes circumstantiæ intentis oculis acerrime sunt contemplandæ atque observandæ. Evidem quoties adest tam futurorum, quam præsentium in locis remotissimis quæ aguntur, eo tempore quo accidunt, & quando fama eorum ob locorum inter-

*Simulatum
Obsessio.*

B 2

val-

vallum ad aures nostras nondum pervenit, prædictio, vel aliarum rerum, de quibus certo constat, eas naturaliter non posse sciri, notitia, v. g. hominis incogniti ejusq; nominis &c. toties ad actu præsentem veram obfessionem tuto atque certo argumentari poterimus. Sed ab absentia solius hujus certissimi cæteroquin signi non valet consequentia ad simulatum dæmoniacum assertum. Quod linguarum exoticarum nunquam discendo acquisitarum elocutiones, altiarumve artium alias ignoratarum improvisam notitiam attinet, infallibile hac pariter obfessionis videtur esse indicium; modo mirandum tale phænomenon citra alium atrocerum morbum, cum summa spirituum exagitatione complicatum, compareat. Siquidem observationes prostant, in febre ardente & maligna oppressis & delirantibus tali quid interdum occurrit, quod vel eam ob rationem eo tempore virtuti supranaturali non fuit adscribendum, quoniam ipsis morbis per remedia mere naturalia ex voto depulsi tales scientiae protinus cessarunt. Neque porro variae bestiæ, insecta, bufones, ranæ, per superioris inferiusque guttur ejeta vim supranaturalem arguunt; hac enim ex oculis cum cibo atque potu deglutitis blando viscerum calore fotis excludi vel alio modo os viva ingredi fatis naturaliter possunt. Sin alia corpora artificialia, linteamina, claves, metalla, ligna &c. sive vomitu rejiciantur, sive alvi egestionis tempore excernantur, seu sub cute latentia deprehendantur, seu ex utero, penie, aliisve locis extrudantur: inquirendum est probe in prægressa, & num vel copia, vel magnitudine vel figura vel qualitate ita sint comparata, ut cavitatibus commode immitti, ibique citra manifestam noxam aliquamdiu retineri, subque cute citra apertura vestigium delitescere aut potuerint aut nequiverint. Ambigua quoque & æquivoca reliqua sunt signa, ex quibus morbum a diabolo productam judicare

fo.

solent plerique Medicorum, nimirum (1) blasphemia verbi-
 que Divini abusus ; (2) robur corporis stupendum ; (3) con-
 vulsiones gravissimæ cum agitationibus membrorum compli-
 catæ mirificis, hominem sanum & vegetum citra præceden-
 tem morbum manifestum subito invadentes ; & (4) medica-
 menta naturali alias morbo convenientia nullum post se esse
 quæum relinquuntia. Non equidem affirmo, indicia hæc, præ-
 fertim simul sumta hic esse penitus spernenda & insuper ha-
 benda, ex iis vero infallibiliter, omnique exceptione sepo-
 sita, Satanicam obsessionem probari ; id ipsum nègo atque
 pernego. Nonne enim in mania quavis corporis robur de-
 prehenditur immane ac mirandum ? Nonne & Athei bene va-
 lentes, & mania, phrenitide, aliisve deliriis a causa naturali
 ortis laborantes sàpe blasphemationes DEI eructare solent ?
 Nonne sàpius contingit, ut spasmus cum membrorum agi-
 tationibus mirificis & contracturis complicatus subito invadat
 homines sanitatem ante hunc insultum gaudentes perfecta, citra
 dæmonis concursum tamen ? Sane quanta dramata, quam-
 que miri spasmi a vermicibus interdum suscitentur, Practico-
 rum observationes loquuntur, & Honoratissimo Parenti talia
 exempla in praxi obvenisse, ubi Theologi, aliqui, pru-
 dentes etiam viri, diabolici quid subesse putarunt, sed cathar-
 etico expulsis lumbriis statim symptomata conquieverunt,
 memini, quali tragœdiæ egomet ipse non semel interfui. Et
 quid de quarto criterio a juvantibus depromto est dicendum ?
 Suntne etiam morbi a causis mere physicis originem ducen-
 tes, mania, melancholia, spasmi, aliquique plures adeo inter-
 dum pertinaces ac rebelles, ut omnem exquisitissimorum
 medicamentorum efficaciam eludant ? Sed quorsum hæc ? Sci-
 licet ut appareat, Obsessionem veram judicatu longo esse dif-
 ficiorem quam simulatam ; ad quam decidendam dupli-
 B 3 dun-

duntaxat medio est opus. Scilicet si quis de simulatione Satanicæ inhabitacionis suspectus varias heterogeneas res e locis diversis excernat, peregrinis loquatur linguis, aut rerum scientiam habeat, quam illum naturaliter non possidere constat. tam physica indagatione dispicere convenit, num artificio humano immitti quædam peregrina aut casu fortuito ingeri iis potuerint locis, in quibus continentur & e quibus excluduntur; quam inquisitione politica & judiciali severa expiscandum, num aliorum hominum araverit vitulo in facie dis dicendis ignotis. Sin denique quis morbos a dæmonе interdum suscitari suetos simulare præsumatur, ex iis, quæ occasione singulorum morborum ad simulandum aptorum ex parte jam dicta sunt, partim adhuc dicentur, facile endabitur fictio. Aditamenti loco autem hic moneo, ad morbos magicos veros, tam a naturalibus quam simulatis discernendos maxime idoneum, cæteris paribus, esse illum Medicum, qui medium tenet inter superstitionem atque incredulitatem.

Th. X.

Morbis sensibus internis communiter adscriptis pertristatis, quatenus finguntur, transitum nunc facio ad exterritorum sensuum affectus simulatos. Spectat huc in primis Surditas, quæ non solum a mendicis, ut elemosynas largiores colligant, sed a reis quoque furti aut aliis sceleris, causam ne dicere cogantur in jus rapti, fingi haud rarenter solet. vid: Valent. in Corp. Jur. Med. Leg. Authent. cas. IX. p. 480. Placet autem Loquela defectum in hac §. una considerare: non quod Loquela in numero exterritorum sensuum habeam, semi-ridiculum enim hoc foret, sed quod multa circa obmutescientiam fictam notanda, necessario nexu, uti mox patebit, surditati yeniant jungenda, quæ si peculiarem deinceps vocis ar-

*Morbi
Magici
sitti.*

*Surditas
simulat.*

*Loquela
defectus fe-
mulatorius.*

articulatae defecuti locum assignare vellem, non citra lectio-
ris tedium repeti deberent. Sane qui surdi nascuntur, eos-
dem & mutos semper esse, tum experientia testatur, tum ra-
tio dicitat. Experientia: dum nullum exemplum in contra-
rium adduci potest, a nativitate surdos sibi relictos & nullo
artificio adjutos loqui incepisse. Ratio vero: quoniam licet
loquela organum satis sit mobile beneque constitutum, &
vox illæsa pro lubitu edatur; tamen articulata voce surdi na-
ti careant necesse est; porta enim mentis clausa neque vocem
in litteras formare, neque verba norunt, quibus cogitationes
suas aliis communicent. In his igitur, quantum etiam quam-
que atrox crimen perpetraverint, nulla punitio locum inve-
nit, siquidem virtutis vitiique cognitione omni destituuntur.
Et quantumvis surdo mediante visu loquela possit largiri,
quod præclarum inventum *Cl. Med. Doctori Job. Conr. Ammanni*
Amsfelodami degenti debemus, quodque in *Tract. Surdis lo-*
quens in scripto divulgavit, ipseque in quibusdam subjectis ex
animi sententia exercuit; quantumvis & alia methodus a Me-
dicis sit excogitata, a nativitate surdum atque mutum litteras,
vocabula, horumque sensum & pronunciationem paucarum
hebdomadum spatio docendi, quod fit, si surdum vel supra
futuram coronalem frequenter compellemus, vel per os a-
pertum alloquamur, vel corpus quoddam teres, afferculum
aut cornu ab extremitate una surdastri dentibus interpositum,
ab altera labiis nostris attingamus verbaque proferamus, quo
quidem pacto tremulus aeris motus aut per canalem Eusta-
chianum viam legens nervos acusticos afficit, aut toti im-
pressus calvariae ad sensorium commune non aliter defertur,
ac in statu naturali auribus exceptus: nihilo secius tamen re-
cuperato sic auditu linguaeque usu an non ob ante dictam ra-
tionem ab omni tormentorum ac poenarum genere sit exi-
mendus, Jctis decernendum relinquo.

Th. XI.

Th. XI.

Connata autem talis surditas non facile fingetur: advenit a gravis facinoris fontibus eo simulatur frequentius, & plerumque cum amissione simul loquela. In suspecto itaque casu ante omnia erit explorandum, an malum sit nativum, quod quidem cognitu difficile haud erit; an aliojam ante delectum tempore in loquela auditusque defectum inciderit, an causae accidentales praecesserint, quæ audiendi loquendique facultatem penitus destruere potuerint. Et cum hæc vitia non semper oculis pateant, variae tentandæ sunt insidiae: scilicet callide observandum per absconditum foramen, num forsan die vel noctu solus sibi quando esse videtur inquisitus, excitato in vicinia sono attentas præbeat aures, aut etiam vis quedam ipsi est inferenda, qua fortassis verbum queat eliciri. Et omnium optimum stratagema mihi videtur ad ejusmodi simulatorem circumveniendum, si eo tempore, quando alto somno veluti sepultus jacet, subito tumultuans prope stratum, cieatur fremitus strepitusque horrendus, unde expergescitus & perterritus divinam fortassis humanamque operm articulato anxioque implorabit clamore. Profecto hæ similesve strophæ, modo circumspete atque subdole struantur, ad detegendam fraudem erunt accommodatissimæ. Auribus quoque deductoque ori acria infundi queunt, quod medium organa sensata graviter & aspere afficiendo ad vocem articulatam exprimendam pariter inidoneum non est. Sic memini, ante hos tres annos Lipsiæ in furto deprehensum & ergastulo inclusum, ne interrogaretur, neve confessio, quis esset, quo ex loco, quibus parentibus ortus, cur furtum commiserit, inquisitione extorqueretur, per triduum non solum surditatem & loquela defectum, verum quoque Asitiam simulasse: cui quarto die acribus immisisse ori auribusque, & cibis vi in-

guttur detrusis protinus cum auditu & sermone appetentia cibi redibat. Ex quibus omnibus sponte jam intelligitur, quomodo sint fallendi aut tractandi rei, qui aut solam surditatem simulare creduntur aut simplicem obmutescitiam.

Th. XII.

Accidit etiam interdum, ut vel visus hebetudo vel cæcitas simuletur. Senes satis saepè vegeti adhuc aciei oculorum tuto & cædectu si cito omnem lapidem movere student, ut Magistratus sibi emeritis quandam ex cognatis substituat. Mendici non raro cæcitatem efficta ditiorum misericordiam implorant, quo paupertati sua desiderata fomenta conquirant. Et Plutarchus de different. inter adulatores & amicum testatur, Dyonisi Syracusani cæcutientis servos itidem cæcitatem simulasit. Ex malitia vero proprie sic dicta & fraude culpanda hi affectus per raro simulabuntur, nisi aliis fucatis morbis gravioribus fortassis adspergantur, quoniam simplex cæcitas reos neque a tortura neque ab ulla poena liberat. Quando itaque Magistratus aut Judices Medicum in consilium vocant ad visus imbecillitatem aut destructionem, de qua suspicio est eam fingi dijudicandam, antecedentia, malo quæ occasionem dare potuerint, sunt ponderanda probe callideque rimanda & excutienda. Qui aciem hebetem causantur, nullo alio aut viscerum aut reliquorum organorum debilitati languescentisque toni indicio præsente, nulla ophthalmia, lippitudinibus ductuumque lacrymalium vitiis nullis, nullis denique violentiis externe oculo illatis prægressis: hi suspecti quidem admodum de simulatione sunt; ast quoniam firma certitudo difficilis admodum est probationis, æquitas omnino suadet, illos tamdiu præsumere veridicos, donec probetur contrarium. Qui vero ipsam cæcitatem non erubescunt simulate ostentare, faciliori negotio convincuntur falsitatis. Nam si vel Medicus

C

vel

vel Chirurgus acerrimo, qui in plerisque oculorum morbis
tum dignoscendis tum sanandis necessario requiritur, visu
pollens nec externe nec interne aliquid præternaturale
in oculorum globo offendat, certissimus poterit esse, nul-
lum adesse vitium in sensum cernentis simplici intuitu veniens.
Ast hoc acquiescere non debet: Restat enim Amaurosis, quæ
in eo unice consistit, atque a catarracta, glaucomate, pannicu-
culo similibusque affectibus distinguitur, quod nihil in pupilla,
consueta pelluciditate insuper gaudente, vitii appareat.
Hinc Gutta serena, cuius immediatam causam nunc thalamo-
rum nunc nervorum opticorum, vel obstructio vel exsicca-
tio, nunc horum aut muscularum ciliarium paralysis, inter-
dum quoque nervi optici ruptura, (qualem Cl. Wolhuysius a
graviori pondere capite gestato ortam observavit,) constituit,
ad simulandam cæcitatem sola apta videtur. Quæritur igitur,
quomodo an fictio subsit sit deprehendendum? & respondeo
hic iterum iterumque, causarum antecedentium & occasio-
nalium scrutinium non flocci esse pendendum. Notum est,
eos, qui in castris venereis, uti mense Martio lepores, nimis
strenue militant, derepente sèpius in id mali genus incidere;
& ratio hujus phænomeni est in promtu. Magna enim oculis
cum partibus genitalibus intercedit consensio, languorem sub
sensus cadentem eorum contrahunt oculi, qui veneris damno-
sa voluptati se constringendos tradunt, idque fit ob magnum
quem oculorum nervi habent nexus cum pari vago & inter-
costali, quod utrumque par per totum corpus distribuitur.
Et cum nulla corporis sit pars, in qua major conspiciatur ner-
vorum concursus majorque crassities, quam oculus, facile
patet, cur a crebriori ac immoderato concubitu oculi inpri-
mis in consensem trahantur & languescant. Alio tempore
malum hoc originem dicit ab inconsulto repulsis exanthe-
ma-

matibus. Interdum a variis spasmodicis affectibus dependet, quando spastici motus ad opticos usque nervos propagantur. Denique paralysis, violentæque concussions, etiam hic pertinent. Harum itaque causarum si nullam præcessisse certiores redditi fuerimus, suspicio de simulatione admōdum augetur quidem, sed ut res extra dubium ponatur, ipse oculi globus paulo accuratius est contemplandus. Admoveatur illi candela, & consideretur, utrum ab incidentibus radiis pupilla contrahatur, & remota candela rursus amplietur, an penitus sit maneatque immobilis. Sublata enim hac ex causa videndi potentia, radii luminares pupillam iridemque alterare nequeunt. Quare hoc experimentum omnem certe tollet dubitationem.

Th. XIII.

Inter simulatos morbos referenda quoque merito est Asitia. Hanc qui versute fingunt, plerumque peculiarem sanitatis famam ex diuturno jejunio reportandam, vel pseudo-prophetias pro fundamento habent. Negandum interim & hoc non est, utriusque sexus personas, in Enthusiasmi labyrinthum ubi inciderunt, subinde jejunium non tam finge-re, quam obstinata potius voluntate, intervallo dierum immensum satis longo, ab omni cibo, nonnunquam etiam ab omni simul potu abstinere. Simile quid observare quandoque est in melancholicis deméntibus ideis misere exagitatis, qui sive vitæ pertæsi, ut fatalem mortis horam accelerent, sive de quotidiano pane acquirendo desperantes, ne viatum mendicando colligant, quævis alimenta respuunt, & callum veluti obducunt stimulis famelicis. Præter arbitriam vero & fucatam Asitiam aliæ quoque verarum abstinentiarum a causis diversis provenientium restant species, quas paucis attingere tantum abest ut a scopo meo sit alienum, ut potius ad falsitatis suspe-

*Asitia
ficta.*

Etiam Asitiam melius dijudicandam earundem cognitio non parum contribuat. Supranaturale quidem & miraculosum jejunium, quale ad XL. dies sustinuerunt Moses in monte Sinai, Elias in monte Horeb, ipseque Salvator noster, nostris temporibus non facile occurret; Habemus Mōsem, Prophetas, Evangelistas, Apostolos, aliasque Divinae voluntatis Praecones, ut opus vix ac ne vix quidem videatur amplius, quod DEUS nunquam frustra facit, miraculo, modo excipiatur rarissimi illi casus, quando Summi Numinis permissu Diuinarum operum simius prodigiosam inediam procurat, qualem in puella per 70. dies jejunante contigisse Schottus meminit *Phys. Cur. Lib. 3. cap. 14. §. 3.* Sed ipsum Christi quadragesimale jejunium quandoque, frustra tamen & lethali plerumque eventu, imitari conantur Enthusiastæ, inspirationes Spiritus Sancti somniantes insomnes. Exemplum de infortunato tali imitatore, 17mo abstinentia die mortem oppetiente vide sis in *Bartholini Epist. Med. Cent. IV. ep. 92. p. 536.* Et similis infelix æmulator paucos ante annos Ploenæ degebatur, qui jejunium suum ad 40. quidem dies tolerabat, iis vero absolutis nimia & intempestiva ciborum ingluvie ventriculum collapsum & debilitatum adeo moleste afficiebat, ut ipso illo die, quo Prophetam se aetarum nugatus fuerat, utrisque pedibus Charentis cymbam concendere debuerit.

Th. XIV.

Hæc de supranaturalibus atque voluntariis Asitiis satis diuturno tempore protractis commemorasse sufficiat. Nunc de Asitiis a causis naturalibus pendentibus & citra voluntatem obortis, fraudisque expertibus succinctis verbis quoque est agendum. Harum duo sunt genera: Alterum, ubi in statu præternaturali ob deglutitionis gravem laesionem nil quicquam assumi potest, quantumvis æger cibum quam maxime concupiscat, uti in

in Angina exquisita haud raro evenire solet. Alterum, ubi appetitus penitus est dejectus, abolitus, atque cum summo alimentorum plerumque complicatus fastidio; cui quidem appetitiae prostrati diversæ causæ occasionem dare valent. Sic spirituum defecitus in gravioribus tam acutis quam chronicis morbis, v. g. febre acuta maligna, diarrœa, dysenteria, cachexia, diurnam sèpius inediā pedissequam nanciscitur, quatenus subtilissimum illud nervorum fluidum his in morbis valde dissipatur, consumitur, totumque propemodum deserit corpus, unde motus a liquore gastrico tunicae ventriculi nervaceæ impressus nec recipi vivide potest, nec rite ad cerebrum deferri, mentique ideam famis præsentare. Ut taceam, in ejuscemodi morbis non solum tonum simul ventriculi relaxari, verum gastrici quoque laticis temperiem inverti, unde pariter ciborum desiderium imminui aut prorsus abولي certum est. Alio tempore spirituum inopiam particularem, nervis ad ventriculum tendentibus quacunque ex causa obstruētis, appetitus sensum suppressum, veri est simillimum. In Gutta Serena ex nervis opticis obstruētis visum tolli omnes novimus: cur non æque credibile, ventriculi nervos interdum ita obstrui, ut ob spirituum influxum denegatum omnis cesseret appetitus stimulus? Interdum quoque, licet spiritus copiose influant in stomachi fibras, tamen contingere potest, ut vellicitationem ad sensorium commune delatam mens non sentiat, si animi pathematis, mœrore, tristitia, curis gravioribus, aut amore occulto-abrepta quasi est. Denique deperdi appetitus causa frequenter in prava ventriculi menstruique contenti hæret dispositione. Quando enim ventriculus est inflammatus aut exulceratus, omnes stimuli famelici extingui solent. Et cruditates tum pituitosas, tum nidorosas, imo acidias tegmine viscoso involutas, salinas menstrui spiculas,

las, quo minus ventriculi sensatam tunicam vellicant, obducere, & anorexiā plus vel minus diurnā excitat, per esse aptas, satis superque exinde patet, quod yomitu rejectis hujuscē farinā quisquiliis ægroti pristinum alimenta assumendi desiderium recuperent. Utī autem menstruum ventriculi salinum viscositate aliisve cruditatibus (ut gladius vagina testus) obvolutum vi titillandi stomachum privatur, juxta perpetuā veritatis canonem physicum: Salia non agunt, nisi soluta; sic juxta similis valoris regulam, salia non agere, si nimis fuerint diluta, menstruum dilutum nimis aquosumque præstanda præstare nequit. Qui plura de Abstinentiis, præcipue insolitis & prodigiis, earumque causis nosse desiderat, legat relegatque Patris Honoratiſſ. *Dissert. de his qui diu vivunt sine alimento A. 1711. habitam*, in qua simul diversi generis historias inveniet. Notatu etiam perdigna est historia asitiae virginis Haderslebiensis Heyeniae, cuius mentio peculiari scripto facta est, ubi nulla ullius fraudis suspicio adesse potuit. Et nuper admodum ejusmodi exemplum Hamburgi accidit, quod *ex litteris Dn. Dr. Loffavii Fautoris ac Patroni multis mihi nominibus Colendi Augusto mense a. c. Hamburgo scriptis* hic inserere nullus dubito: *Puella etatis nunc 20. annorum, Elisabetha Jenfelts ante hos duodecim annos cum calore & capitī dolore febre correpta est fortis, per sexennium societatem hominum vitando solitudinem amavit, sepius 8. ad 14. dies domo absuit, nemine sciente quo se proreperit, interdum nihil cibi potusque, interdum parum admodum assunxit. Postea lecto se affixit, neque unquam est locuta, neque, quantum observari potuit, quicquam aportati cibi potusque degustavit. Elapso anno quinto clanculum paravis ignem noctu, ut domum incenderet, quod secunda vice moliendo manusque operi admovendo repetiit, sed deprehensa in actu, statim in loco probe custodio inclusa ad annum integrum detenta man*

mansit; interim nihil comedit vel bibit, minimum nullo sensibili modo, neque alvi egesit excrementa, neque emisit urinam, neque menses fudit. Quapropter illam ego per quatuor hebdomades camera inclusam servavi sine cibi ullius potusque porrectione ulla, & januam probe oclusi, quando absens esse debui; unde tamen vix mutatam ipsam inveni nisi debilitorem paulo factam. Deinde naribus ipsius admovi Spiritum salis Ammoniaci per calcem vivam, item Euphorbium, quod citra ullam alterationem sustinuit; os quoque ejus instrumento quodcum mediante aperui, & quotidie potentia gutturi infudi, que vero plurima ex parte regurgitarent; clyster preterea a servo meo est injectus, qui iterum paucis cum excrementis ano excludebatur. Intra tres abhinc hebdomades ter urina, & semel nonnihil fecum alvinarum comparuit, item narium hemorrhagia, & fluxus menstrui pauxillum. Potulenta quævis ori infundi nequeunt, quoniam si hoc tentetur, convulsionebus ferme corripitur. Nunc tussis & expectoratio accessit; quomodo res porro succedent, alio tempore transcribam. Corpus est succulentum, continuo fere dormit puerula, non sudat, respirationis pulsusque adest parvitas, abdomen totum intus retrahitum attactum est durum, loqui nequits, & musculi omnes sunt spasmode contracti. Mea opinio fert, quod inedia tota sit contracta, & nunquam plus assumferit cibi, quam accurate ad vitam conservandam necessarium. Hinc nulla excretiones sequi potuerunt, & secretiones vitales fuerunt suppressæ.

Th. XV.

Hicce itaque prælibatis modus Asitiam fistam detegendi, atque a veris tam voluntariis quam morbosis & symptomatis abstinentiis distinguendi, nunc indigitandus erit. Nimirum tunc demum conjectura assèquimur, simulari Asitiam diuturnam, quando nullus morbus adeat aut præcessit, quo cum cibi fastidium alias complicari solet, quando subiectum

IVXIT

me-

melancholicum non est, atque propositum firmum ceperit
 tenue vita filum inedia abrumpere, item quando jejuniis ad
 multum jam tempus toleratis neque solennium excretionum
 cessatio, neque singularis corporis emaciatio appetit. Quibus
 rebus ita se habentibus diligenter observare convenit, an doli
 aliquid fraudisque subsit. Quamobrem omnes hypocauti le-
 tatusque latebrae, quasi aliud queratur, sunt perlustrandae, num
 forsan quid cibi potusque uspiam reconditum produci queat;
 aut foraminulum paretur occultum, per quod clanculum
 quid soli agant Asiti suspecti, an forsan arbitris remotis ve-
 scantur cibis, reiteratis est perspeculandum vicibus, nocturno
 vero tempore candelae accendantur & accensae maneant, ad
 junctique custodes nunquam ab iis recedant, nisi prudenti
 quando avocantur consilio, ut interea quid sociis remotis su-
 scipient, per foraminulum oculis usurpare liceat. Hac enim
 ratione fraus aliquando in visum incurret. Et simili fere modo
 sedecim integris annis sine omni cibo vixisse credita puel-
 la, cuius *Velschius* meminit, *Eph. Nat. Cur. Dec. I. An. 3. Obs. 35.*
 fraudis tandem convicta fuit. Aliud fictae inediæ exemplum
 recenset *Hildanus Cent. V. Obs. 33. p. 413. sq.* ubi puella per 16.
 annos abstinentiam ab alimentis servasse credebatur, ante-
 quam dolus pateficeret. Quæ cum neque urinam ullam, ne-
 que menses, nec sudorem excreverit, neque alvum exone-
 raverit, merito sequenti cautelæ occasionem subministrat,
 Non eam unice ob causam, quod excretiones hæ solennes
 cessent, illico Asitis fidem esse habendam; siquidem non fa-
 cile tantam esculentorum copiam recondere possunt, quæ
 nutritioni sueto modo peragendæ ad multum tempus suffi-
 ciat, & studio solidum cibum quotidie vel alternis diebus
 mira duntaxat paucitate assumant; quo personam suam me-
 lius diutiusque ludant.

Th. XVI.

§. XVI.

Non immerito denique hic quæstio movetur, quomo-
do prodigiose jejunantes, ad quos tum fraudum expertes, tum
earum plenos exili tantum portiuncula vescentes refero, per
aliquot interdum annos vivere atque spirare valeant? Ad
quam decidendam male nonnulli configunt ad aërem inspi-
ratione haustum atque in succum atque sanguinem transfor-
matum aliasque nugas & inexplicabiles causas. Quantum ve-
ra in arduo hoc explicando negotio conjectura probabili asse-
qui licet, videtur mihi, sanguinem lentore & visciditate insi-
gni scatentem (a vasibus secretoriis tono privatis & collapsis de-
ducendum) vitæ sine alimentis ad multos mensēs imo annos
protractæ unicum esse auctorem. Dum enim humores in va-
sis suis majoribus lente admodum procedunt, viam per angu-
stissima vascula secretoria plane non inveniunt, unde secre-
tiones tunc fieri ne animo quidem potest concipi. Hinc est,
quod excretiones sudoris, urinæ, & fæcum alvinarum men-
siumque penitus desinant, quibus cessantibus fluida in corpo-
re retineantur necesse est, cum ab exiguo illo, quod per in-
fensilem transpirationem eo tempore enormiter impeditam
exhalat, & ab illo, quod per nares & ductus lacrymales ex-
cernitur, discesseris. Humoribus itaque cum parum admo-
dum quotidie decedat, vita, nisi gravior superveniat morbus,
satis diuturno interdum tempore sine omni vietu continuari
poterit. Quod vero corpus tandem extreme contabescat, trans-
pirationi superstiti in acceptis est ferendum. Præterea negan-
dum non est, in pinguibus subiectis inediarum tempore adi-
pem resolvi & a venarum poris resorberi, atque nutritionem
aliquamdiu præstare vicariam. His vero non obstantibus ne-
mini impulsor aut consuasor unquam ero, ut artem solo halitu
vivendi addiscere tentet, nisi in ipsa disciplinæ hujus inçude posí-
tus vitam cum morte velit commutare. D Th.

Th. XVII.

*Simulatio
Hæmoptyo-
sis,*

Hæmoptysin simulatam suo jani tempore Galenus obser-
vavit, qui in *Libro de simulatis Morbis* ita scribit: *Deprehensi jam
quidem sunt, qui sub finem tussis, quoties vellent, sanguinem ex-
creaverint, venula quadam circa gingivas aperita. sique compa-
rata, ut quando videretur, lingua illam fugentes, statimque post
tussientes sanguinem quasi ex inferioribus redditum expuerent.*
Quapropter ne & judices & Medici decipiuntur, si quando ob-
tingat casus, ut criminis cuiusdam reus hæmoptoën, quæ ab
omni tortura reali liberat, alleget: ad fistam hæmoptysin a
vera discernendam sequentes cautelæ potissimum attendi me-
rebuntur. (1) Solum sanguinis sive sinceri sive salivoso latisci
permixti sputum hic non sufficit; quod sine tussi si contingat,
non ex trachea, bronchisque aut pulmonum vasis venit, (ne-
que ex ventriculo, alias cum nausea & vomitu rejiceretur san-
guis;) sed vel ex ore manat, dum arteriolæ & venæ per gin-
givas dispersæ ab acredine salina cultelli ad instar discidente
eroduntur aut artificio quodam aperiuntur; vel ex fauibus
assurgit; dum narium v. g. hæmorrhagia tempore aliquid in
eas sanguinis delapsum fuit. Omnes enim hæmoptoici cum
tussi sanguinem ejiciunt. (2) Sin cum tussicula stipata incedat
expulsio subcruenta, constitutionis & dispositionis corporis,
quantitatis & qualitatis sanguinis excreti, aliarumque circum-
stantiarum respectus haberi debet, ut appareat, utrum plé-
thora, orgasmus, scorbutus, aut consueta sanguinis per alia
loca excretio suppressa, an dispositio ad phthisin, anhelosa
respiratio, pleuræ inflammatio adsit, aut violenta thoracis
percussio præcesserit. Qualitas quoque tussis est consideran-
da; und wird man leicht mercken können, ob es ein wahrer, oder
nur ein so genannter Schaf-Husten sey. Ex essentia igitur tus-
sis, aut ejus affectata æmulatione aliisque memoratis circum-

stan-

stantius certo certius concludere possumus, subiectum non vera laborare haemoptysi, sed eam gingivis peropportune vel ab interna quadam acredine vel exfringens adhibita arte consulto erosis, vel (quod *ad hanc* non est,) sanguine quacunque ratione naribus attracto simulare.

Eam quoque haemorrhagiae speciem, qua sanguis nunc & *Mictus* sincerus nunc urina dilutus per urethram promanat, fuisse si *cruenti*. mulatam refert *Fort. Fidel. Relat. Med. Lib. II. cap. 2. p. 208.* Quare in Mictione cruenta fictionis nomine suspecta non soluni pars affecta causaque occasioales prudenter indagari debent, sed necesse quoque erit subleste fidei homini ut injungatur, *Judicis*, *Medici*, aliorumve in conspectu urinam reddere. Quando enim eo tempore neque purpurei laticis quicquam excernitur, neque dysuria comparet, sed lotium nullum sanguinem admixtum habens libere & citra obstaculum effluit, fraudulenta deceptio ad oculum patet.

Th. XIX.

Veniendum jam ad considerationem simulationis illorum morborum, in quibus motus animalis, a naturali spirituum influxu pendens, vel imminuitur valde, vel plane cessat cum actionum vitalium gravi laesione aut temporaria abolitione. Spectant huc Deliquia animi, Apoplexia, Epilepsia atque Paralysis; de quibus singulatim dicere pro conatu virili aggredior. Et animi quidem Deliquium, quod ratione *Simulatio* gra-
duis & durationis non male in Lipothymiam atque Syncopen *Lipothy-*
dispectur, quoniam torturam ob apoplexia ipsiusque mor-
mia, &
itis secuturæ metum vetat, interdum a reis fingitur. Depre-
Syncope.
hensio vero dolosa talis imitationis in Lipothymia non ma-
gnam, in Syncope nullam propemodum, difficultatem parit.
In vera Lipothymia sensus quidem & vitales motus subito im-

minuuntur, facies fit pallida atque cadaverosa, & oculorum obscuratur splendor, pulsus redditur extreme debilis, insigniter prosternuntur vires, & totum corpus flaccescit plerumque sive resolvitur, sin spasmus accedat, obrigescit, denique extrema frigus occupat; nihilo secius tamen adhuc sensibilis est pulsus atque respiratio, rationis quoque sunt capaces ægrotantes, & paroxysmus plerumque est transitorius, neque unquam, modo quantocys analepticis volatilibus spirituosis viuum refectionem moliamur, ultra quadrantem horæ protrahitur. Syncopizantes vero per unam sàpè alteramve horam veluti semi-mortui jacent sine omni tam externo quam interno sensu, semper quoque, nisi si epilepticus interpelletur insultus, sine omni motu manifesto, ita ut adstantes dubii subinde hæreant, utrum syncope correptus sit æger an vere mortuus. Et recte hic morbus pro mortis imagine habetur, in quantum arteriarum pulsus tantù non amplius percipitur, & respiratio sublata penitus videtur, membraque aut resoluta sunt, aut spasmus accedente adeo fiunt rigida, ut frangi facilius quam moveri queant, viscido simul frigidoque circa tempora, collum, pectus, prorumpente sudore, totumque corpus extreme refrigerescit. Hinc ne risui se Medici exponant, syncopizantem mortuum afferendo, antequam firmum de morte judicium ferant, non solum naribus penetrantissima admovere, ut suscitetur forsitan homo, verum etiam ad nasum plumulam apponere & ori speculum obtendere, oculosque advertere, an illa agitetur non nihil, hoc vero nebulosis obducatur moleculis, nec non pulsum, in temporibus præcipue, ast non vulgari modo, sed diu duriterque, unde interdum aliquid vitæ residuæ colligitur, explorare solent. Quoniam autem ad voluntatem arteriarum pulsum retardare, imminuire, planeque sistere, faciem cadaverosam atque Hippocrati-

cam

cam induere, frigescere, frigido madescere sudore, membra aut flaccida aut rigida efficere, & respirationem ad notabile temporis spatium reprimere, in nullius positum est facultate: Medicus sine multo negotio ad fraudis, si quid ejus subsit, pervenire poterit detectionem.

Th. XX.

Commodus nunc hic agendi locus foret de Morte simula- *Mors simula-*
lata detegenda; nam & *Celius Rhodiginus Leet. antiqu. Lib. XX. lata.*
cap. 10. hujusmodi doli exemplum profert, & *Lancifus de mor-*
tibus subitaneis p. 55. simulatae mortis modique eam detegendi
mentionem injicit. Veruntamen qui detegendæ simulationi
Animi Deliquiorum par est, is dubio procul vitam a morte
distinguere pariter erit idoneus. Sane quamdui pulsus nondum
est extintus, respirationisque adhuc adsunt indicia, tamdiu
vivit homo. Et ut vita corporis essentia in circulari sanguinis
motu, cuius arteriarum pulsus est signum, consistit; sic in hac
per quasvis partes circulatione penitus cessante merito mortis
corporis *sortia* ponitur. Digni interim profecto forent simula-
tores adeo enormiter malitiosi, qui nisi religio Christiana na-
turæque leges mitiori incedere suaderent via, vivi vel cultro
Anatomico subjicerentur, vel arcæ inclusi ferali a vespillo-
nibus sepelirentur.

Th. XXI.

Apoplecticos quoque ob summum vitae imminens peri- *Apoplexia*
culum a tormentis debere absolvı, nemo inficias ibit, & ne *simulata.*
perfecte curatos quidem ob remanentem in hunc morbum
pronitatem, torturæ, quodcunque commiserint crimen, tuto
subjici, crediderim. Verum & hac immunitate astute crimi-
nis rei quandoque abutuntur, simulando, se velut fulmine
tactos in terram prosterni stipitisque adinstar sensu omni mo-
tusque localis potentia privatos jacere. Ut itaque de fictione

D 3

red-

reddamur certo certiores, opus non solum erit in causas prægredientes atque occasio[n]ales inquirere, sed Apoplexiā etiam tum ab aliis cognatis morbis, tum unam ejus speciem ab alia nostræ discernere, & quam maxime essentialia apoplexiæ signa cognita perspectaque tenere. Evidem sensus motus que ablati respectu magna cum syncope, epilepsia, affectibusque soporosis cognatio apoplexiæ intercedit: a quibus tamen toto celo differt reliquorum phænomenorum intuitu. Namque in syncope facies pallida tabidaque conspicitur, extrema frigescunt, pulsus vix ac ne vix quidem est sensibilis, nullaque respirationis, nisi obtentis ori naribusque plumis aut corporibus politis, amplius vestigia comparent; cum apoplecticorum facies inflata tumeat, proque temperamenti differentia vel lurida sit vel rubore sanguineo perfusa, calor corporis naturalis in iis restitet, pulsus aut temperamento conformis, aut valde durus sentiatur, respiratio vero tantum abest, ut cefset, ut potius audiatur ronchus, aërem profunde atque difficulter duci testans. Epilepsiam quod concernit, facile se illa tre more ac convulsivis motibus a morbo attonito distinguit, modo hic removeantur illi epileptici insultus, quos apoplectis subinde supervenisse, postquam per quinque sexue horas exercitari nequierunt, Practici observavere. Præterea apoplectici sine violentia concidunt in terram, in quam Herculeo correpti morbo vi quadam quasi detruduntur. Tandem modi invadendi & vigiliarum post factam excitationem ratione magno apoplexiæ intervallo a soporosis distat affectibus. Scilicet soporo quoque affectu correpti jam a longinquo ante invasionem tempore de torpore summaque in somnum propclivitate solent conqueri: apoplexiæ vero quantumvis ei saepius vertigo, scotomia, syncope, paralysis linguæ artuumve, aliquique morbi tanquam prodromi præcedant, dèrepente atque

que ex inopinato agiles invadit. Cataphora aut veterno labo-
rantes difficulter licet excitentur, signa tamen sensus motus
que edunt, oculos interdum attollunt & delirant, protinus
vero in soporem relabuntur, atque simul febricitant quāndo-
que; quæ omnia aliter fiunt in apoplectis, qui & multo dif-
ficilius expergesiunt, ita ut tres quatuorve prætereant horæ,
antequam clamores, frictiones, clysteres, odorès aliaque effi-
caciissima remedia erterne applicata aliquem post se effectum
relinquant, & excitati semel non facile iterum in pristinum
incident torporem, quippe qui potius in vigilias mutatur, hi-
que nullam patiuntur febrem symptomaticam. Ex quibus
omnibus allatis clare apparere arbitror, quo modo simulatio-
num apoplexiæ, tum soporosorum (magis proprie sic dicto-
rum) affectuum, quippe qui ad fingendum pariter non sunt
inepti, in aperto poni queat. Verum ponamus, temperamen-
tum & corporis constitutionem apoplexiæ vel sanguineæ, quia
vultus tumidus & intenso rubore suffusus, pulsus magnus du-
rusqne, & respiratio gravis admodum sentitur, vel serosa, Simulati-
affectus
soporosi.
qua pallida luridaque est facies inflata, pulsus temperamen-
to conformis, respiratioque magis anhelosa, soporosis affe-
ctibus assimulandis egregie succurrere: profecto tunc alia via
non supereft, quam a juvantium adhibitorum effectu vel mo-
mentaneo vel retardato vel nullo veri fictique indicia desu-
mere. Nimiriū si volatilia penetrantissimæ virtutis, (v.g.
spiritus salis Ammoniaci cum calce viva paratus,) naribus ad-
mota sternutatio momento citius sequatur; si clysteres acrio-
res ano injecti, setacea cruribus brachiisque applicata, frictio-
nes, crinium evulsiones, denique cauterii actualis seu ferri
candēntis ad verticem applicatio, protinus suum edant effe-
ctum, de simulatione dubitandum amplius non est; siqui-
dem vero talium morborum paroxysmo præsente minimum

ali-

aliquot minuta, plerumque una alterave hora præterabuntur, antequam quæcunque moliamur, ægrotus e sopore excitetur.

Th. XXII.

*Epilepsia
simulata.*

Epilepsiam in se spectatam, cognitu difficilem haud esse, Medici in veris morborum historiis accurate versati omnes uno fatebuntur ore. Quare ubi simulationis suspicio adest nulla, scrupulosa indagine non indigemus. Verum cum malitia mortalium sit tanta, ut sacrum hunc morbum simulatione subinde imitari conentur, ad fictum paroxysmum a vero distinguendum non semper sufficit, in externo acquiescere aspectu facieque morbi, sed paulo exquisitiore scrutinio est opus. Mendici autem, ut aliena misericordia vivant; rei, ne in cruciatum dentur; ignayi ac sine animo milites, ut vehi curru sibi concedatur, neve in hostem pugnare cogantur, quando exercitus in prælium deducitur, Sonticum frequenter simulare solent morbum. Poterit interim fictio facile palam fieri, præcipue si Medicus peritus convulsivi talis insultus paroxysmo ipse intersit. Etenim inter pathognomonica morbi hujus signa non postremum occupat locum, quod correpti illo ægrotantes omni destituantur sensu atque ratione, & ab illo liberati, quæ egerunt, quæque secum acta fuere, cum ignarissimis ne-scient. Ideoque ut fraudis convincantur personæ suspectæ, corpus durius tractetur, acubus pungatur, verberibus, fustibus, virgis graviter excipiatur; unde facile plerumque innotescet, doloris sensu utrum afficiantur nec ne? Perraro enim, ut opinor, tale nobis sese sistet subjectum fraudulentum, quod tentamenta istiusmodi generoso, ast simul malitioso, spernat contemtu; quodsi contingat, alia suppetunt technæ bene multæ aliaque signa, quibus fucus faciliter detegitur negotio. Namque ut de sternutatoriiorum oblitorum subitaneo effectu nihil dicam, neque prolixe commemorem varias obliquas quæstio-

nes,

nes, unde essentialium quorundam signorum defectus cognosci queat: attendendum maxime ad accessionis Herculei morbi modum est, quo violenter admodum & ex improviso humi prosternuntur veris epilepticis insultibus invasi, haud secus, ac si vi externa impetuose agerentur præcipites, nullo quo concidant loci habitu' discr̄mine. Simulantes ex adverso hunc morbum caute sibi prospicere solent, ne corpus in periculum projiciant. *Et fieri vix alter potest,* (sunt verba *Cl. Alberti in System. Jurisprud. Medica Part. I. cap. X. §. 8.* ubi de Epilepsia simulata agit,) quam ut fraudulenti tales homines indolis hujus morbi non perfecte gnari varie impingant dolumque manifestent. Nonnulli enim non nisi sedentes aut circumspecte concidentes simulato hoc affectu corripiuntur: alii capiti & reliquis corporis partibus valde parcunt, ne convellente commotione iisdem vim inferant: alii linguam valde custodiunt, & observant, ne illam violent: alii plane suspecto & irregulari tempore hoc affectu corripiuntur: quidam præter modum aliquandiu ab hoc affectu immunes permanent, donec non nisi suspecta occasione ab eodem comprehendantur. Præterea in ficta epilepsia oculos plerumque claudunt, qui in vera aperti mire in orbitis suis rotantur & convelluntur. Hinc ex palpebrarum paroxysmi tempore occlusione facultas huius loci Medica nuper non male judicavit, foeminam quandam simulasse epilepticos insultus. Casum de Epilepsia ficta ad facultatem Medicam transmissum & responsum ad eundem adducit *Cl. Dn. Alberti Lib. cit. in Appendice p. 704. cas. XVII.* Alia exempla vid. apud Zittmann. in Medic. For. p. 1580. Valentin. Pandect. Med. Legal. P. I. p. 280. & Celer. Bohn. de Off. Med. dupl. P. II. cap. VI. p. 682. sq. Conferri quoque merentur Annales Physico-Medici germanico idiomate a viris quibusdam doctissimis Vratislaviensibus conscripti Tentam. XXIX. Mens. Aug. 1724. Claff. IV. Artic. 20. n. 7. p. 222. sq. ubi nar-

E

ra-

ratur: *Juvenem 18. annorum jam inde a pueri singulis horis epileptico insultu fuisse tentatum, bincque multum argenti collegisse. Cujus vero malitia detecta tandem fuit, cum quadam oblata occasione in publico sexies hora spatio epilepsia recursum effingendo simulationis in suspicionem non citra rationem incurseret. Nam in ipso paroxymo quidam acu aurem ejus transfigebat; quo facto statim nequam anxia clamans voce fugam capiebat. Ex qua vero exceptus & retractus ad vita dies pœna loco Waldheimensi inclusus est ergastulo.*

Th. XXIII.

*Paralysis
facta.*

De Paralyſi nunc quoque sermo est instituendus, quam mendici ac criminis accusati, easdem ob rationes, ac modo de epilepsia dixi, ſæpius mentiri ſolent, præcipue paralyſin pedum atque organorum tum voci edenda tum loquela inſervientium, cum tamen optime alias & ambulare, & loqui, & vociferari valeant. Evidem Aphoniam ſingens ſimili methodo vocalis evadet, qua vocis articulatae privationem simulationem deprehendi poſſe Th. X. monui. In artuum vero aliud extérnæ corporis partis paralyſi, ſi simulationis adeſt ſuſpicio, poterimus affectam partem gravius traçtare, vellicare, concutere, adurere, ſicque facile veritatem explorabimus. Et quoniam hic morbus non unam ſemper eandemque praefere ferre ſolet faciem, quatenus nunc omni motu potentia pri- vata ſunt membra affecta, nunc residua in illis motus ſunt vestigia, v. g. dum æger leſto incumbens pedem quidem ele- vare nequit, eundem tamen antrorum & extrorum adhuc moveare potheſt; item quatenus interdum non ſolum motus, verum omnis ſimul ſenſus in affecta parte ceſſat, quæ ſenſus abolitio stuporis nomine venit; alio tempore ſenſus adhuc viget in membro paralytico motu laborante impotentia; de- nique quatenus membra vel ſunt adhuc carnoſa, vel tabe-

con-

consumta: Profecto harum differentiarum cognitio, indagatio consideratioque non parum nobis lucis accendet in veri fietique dijudicatione evidenti. Præterea cuivis paralysi essentiale est, quod ea laborantes partes sint flaccidae ac resolutæ, hincque musculi paralytici attacti molles solitoque multo laxiores sint necesse est, quod symptoma simulatores imitari nequeunt. Quantumvis enim non nesciam, *Augustinum de Civit. DEI L. XIV.* & *Rhodiginum Antiqu. Lection. L. XX. cap. XVI.* aliosque autores arbitriae paralyseos mentionem injicere, putaverim tamen ego, illam potius non entium numerum accessu suo augere, qui mihi difficulter persuaderi patior, mentis voluntatem tanta efficacia gaudere, ut morbum introducere pro lubitu in corpus iterumque depellere valeat. Fictæ interim poralyseos exemplum vid. in *Cl. Bohnii Tract. de Offic. Med. dupl. Part. II. cap. VI. p. 685.*

Th. XXIV.

Non possum non hac occasione de Claudicatione a mendicis persæpe simulari solita obiter paucula in transcurso attinere. Potest enim accidere, ut Magistratus de claudicatione sibi suspecta judicium Medici desideret; in quo ne hallucinetur titubetque, in causas antecedentes prius debet inquirere, ipsumque pedem nudum oculis usurpare, ut certo cognoscat, an claudatio a paralysi, luxatione, fractura, ortum trahat, num naturali in situ collocati pedes nil præternaturalis vitii ostendant. Quo postremo in casu nil impedit, quominus pedes loris cædantur; dubio enim procul tunc sine claudicatione incedere, imo optime currere Vulcanum, jucundo cernes spectaculo.

Th. XXV.

Inter eos morbos, quos simulari experientia testatur, nunc *Dolorum quoque mihi sece offerunt variarum corporis partium ac vi-* *simulatio.* *fcerum Dolores.* Rei præcipue, ut ab equuleo liberentur, vel

e carcere minus commodo educti in commodiori asserventur loco, nec non verberibus & plagiis accepti, ut ducti vindictæ cupidine metum periculumque famæ, vita, custodiæ, pœnæ infiictoribus incutiant, ad dolores vel graviores quam re ipsa sunt, vel plane non præsentes, simulandos admodum parati esse solent; alii alias morales ob causas de sensu dolorifico in intestinis, stomacho, capite &c. vehementer sœviente interdum fœte conqueruntur. Quæ diversitates caufarum probe cognitæ utique quidem ad faciliorem fictionis detectionem faciunt: non tamen semper tales accusati dolores fictionis certo possunt argui, antequam paulo accuratius de doloris qualitate, caufis antegressis, duratione, symptomatibus, aliisque circumstantiis, institutum fuerita examen. Quandoque enim tales simulantur dolores, qui externis signis se non produnt. Ideoque prudenter inquirere eo tempore Medicum oportet, an dolor ille sit ardens, an pullatorius, an frangitivus aut tensivus, an lancingans & scindens, an vero mixtus; unde caufarum cognitionem poterit acquirere. Quoniam autem hæc sola haud sufficit, & nonnulli, quomodo sit comparatus dolor, accurate exprimere nesciunt, necesse insuper erit, ad individua dolorum in hac vel illa parte sœvientium symptomata, nec non ad morbos, qui cum illis vel idiopathice vel sympathetice stipati incedere solent, denique ad diurnitatem dolorum & tempora exacerbationum judiciose respicere. Sic qui pectoris internum & intolerabilem queruntur dolorem, simul respirationem læsam valde atque impeditam patiuntur; quorum ventriculus gravativo graviter affligitur dolore, ii ob nervorum per caput dispersorum cum paris vagi ramis ventriculo insertis harmoniam cephalalgia simul laborant, atque anorexia quoque, si cruditates pituitosæ famelicis stimulis obicem ponant; qui Iliaco aut Colico dolore cruciantur, diarrhoeam

hœam vel experiuntur, vel pertinaciter obstructam alvum.
Quod vero palmarium est, attendere præprimis convenit ad so-
mnum, qui si placidus sit & naturalis, firmum inde simulationis
testimonium nanciscimur, eo quod gravioribus doloribus (de-
mitioribus enim & momenti pene nullius neutiquam est sermo,
quippe qui frustra quoque fingerentur,) revera divexati vix
somnum, aut non nisi valde interruptum illum capiant.
Namque Dolorum graviorum individua symptomata consti-
tuunt inquietudo atque agrypnia, quæ eo magis augentur,
quo & dolores ipsi sunt intensiores, & quo nobiliores partes
occupant. Ast regerat quispiam: Agrypniam ab aliis etiam
causis originem posse trahere, quandoquidem & rei & alii
monstri quid alentes inquietis cogitationibus solicitisque curis
distenti nocturnis vigiliis vexari, nullumque, nisi valde inter-
ruptum experiri somnum solent; ideoque agrypnia laboran-
tes dolores nihilominus posse fingere. Reète haec quidem:
quare etiam interdum plura simul signa collective sumere o-
portet, ut veritas a fuso discernatur. Præterea stratagemata
suppetunt, quibus circumvenire fraudulentos licet. Quid enim
obstat, quo minus iis iniciatur terror, acsi Medicus extrema
necessitate commotus periculōsum & ambigui exitus auxilium
tentare velit, a quo abhorrent ipsi ægrotantes? Hac ratione
Dn. Parens quondam rustici ad os temporum baculo percussi
iptolerabilem cephalalgiam mentientis aperuit fucum, simula-
que ab anxi metu ne res male cederet liberavit inflictorum.
Parens namque in consilium vocatus variis ex circumstantiis
conjiciens fidendum vix esse acerbis ægri suspiriis anxiæque
querela dicebat: aliud auxilium restare nullum quam Trep-
ani applicationem, dubii eventus operationem, ideoque se se-
quente summo mane cum chirurgo redditurum, ut operatio
fuscipliatur. Sed operandi modum intelligens ruricola vitaque

periculum metuens, nocte clam arbitris e lecto se proripiens in casam remigravit suam perfecta sanitate fruens. Non absimili forsan modo, si dolor fictionis suspectus peccus occupare dicatur, similari a Medico posset Paracenthesis, eo praetextu, ut pus in thoracis cavitate collectum foras eliminetur; neque plurium technarum, quibus, quæcunque dolentes partes fiæ allegari videantur, ad fraudem detegendam utatur, Medicus ingeniosus inops erit.

Th. XXVI.

*Arthritis
simulata.*

De Arthriticis Doloribus id specialiter adhuc monere habeo, eos, modo non nodi: tophique articulis adnati fuerint, neminem reorum a tormentis absolute vindicare, hincque scrupulosa, an simulentur illi, indagine haud esse opus: praesertim cum prostent exempla illorum, qui per torturam a podagra sunt liberati. vid. *Guil. Fabric. Hildan. Cent. I. Obj. 79.* Illa interim cautela observetur necesse est, ne paroxysmi tempore equuleo subjiciatur quisquam; alias in partibus debilitatis major & periculosior excitaretur inflammatio, imo gangrena ipsa. Et quoniam arthritis ipsa est tortura, afflito addenda non est afflictio.

Th. XXVII.

*Impotentia
mariti ab
uxore si-
mulata.*

Quoniam malitiosæ interdum uxores maritum virilis Impotentiae insimulant, atque licet rem aliter se habere optimæ norint, a Legum peritis tamen expetere non erubescunt, ut jugum conjugii dejiciatur: a scopo tractationis nequaquam erit alienum, breviter ostendere, quemadmodum, quid veri quidve falsi relationi tali subsit, cognosci queat. Occurrente igitur istiusmodi casu & Judice Medicorum exposcente judicium, explorentur organa; quæ si nihil vitii organici monstrant, danda ex instituto erunt aphrodisiaca, ut innotescat, an inde effectus desideratus sequatur nec ne? Qui si sequatur:

præ-

præsentibus personis fide dignis concubitus est celebrandus atque peragendus. Sola enim penis rigiditas non sufficit, sed an semen ejaculetur etiam dispicere oportet. In nonnullis membris virilis vigeret erekcio, qui nullum tamen emittunt semen ob elaborationem ejus denegatam; uti id in eunuchis videmus, qui hanc ob rationem lascivis mulieribus non sunt ingrati. Neque satis est, obiter duntaxat & fugitivis oculis rigiditatem membra contemplari; aliquando erekcio virilis hastæ adest, quæ tamen non rigida turgidaque permanet, quo usque debitum conjugale rite peragatur. Alio tempore imperfecta est illa rigiditas. Qualis imperfectionis peculiarem casum Lipsiæ quondam observavit Excell. Schacherus, Patronus & Præceptor meus ad tumbam usque Venerandus, quem in Collegio Practico fideliter, ut semper solet, communicavit mihi aliisque Auditoribus. Scilicet vir quidam de impotentia querens medelam ab Illo desideravit, cui oblatis aphrodisiacis membra quidem erekcio ad glandem usque successit, verum glans plane flaccida permanit. Quæ potentiae causa illustrari ex Anatomia potest, qua constat, corporum nerveo-spongiosorum majora duo balanum non pertransire, tertium autem minus cum urethra contiguum glandem quoque perreptare. Quapropter tam debita erekcio membra, quam seminis emissio dubio in casu una considerari exacte debent; quibus præsentibus repertis, uxorem mentitam fuisse, abunde patet.

Th. XXVIII.

Reliquum est, ut etiam declarem, qua ratione Graviditatem simulantes deprehendi queant. Quantumvis autem hic affectus in se spectatus proprie & stricte loquendo maxime sit naturalis hincque non morbus vocandus: neminem tamen mihi vitio vereturum confido, si de illo quoque ob analogiam, quam cum morbis aliqua ex parte alit, yerba proferam; præcipue

*Simulatio
Graviditatis.*

cipue cum uteri gestatio variis morbificis symptomatis stipata plerumque incedere soleat, atque hic status a carcere præ conditionis, tortura, ultimo suppicio atque omni afflictiva corporis poena, reas ad tempus eximat. Parcendum enim est utero gerenti, usque donec sex hebdomades elapsæ fuerint a partu: & gravidæ quidem, ne cum illa nocente innocens embryo aut perimatur aut sanitatis vitæque incurrat periculum; puerperæ autem ne ob summam a partu relictam imbecillitatem vel in tortura moriatur, vel tristi & terribili percepto diei quo trahi ad supplicium sit destinata nuncio, examinis concidat, & determinatum capitalis mortis terminum anticipet. Sed hoc ipsum privilegium dolosæ foeminae, quando ob commissa delicta in carcere servantur ad judicij & poenæ diem, astute in usum suum convertere haud raro norunt, allégando imprægnationem, ut in aliud delata locum tempus interea lucrentur, cruciatus, poenas, mortem prolongandi, aut aliorum interventientibus obsecrationibus supplicibus a Summo Imperante & Judicibus delicti veniam impetrant, aut e custodia effugiendi arripiant occasionem. Exempla dolosæ talis fictionis passim observationum scriptores recensent; & ipse ego Lipsia confidex mulierem ventris intumescentia insigni incidentem, quæ, nescio quod ob crimen in curiae carcerem delata, aliquo post tempore graviditatem allegando efficerat, ut Senatus iussu custodiā commodiorem, & quæ ad cultum, vietum valetudinemque utero gerentium sunt necessaria in nosodochio haberet; quare etiam ne sola esset, alia quæ opem ferret parturienti, fortassis politicas simul ob rationes, eidem foemina associebatur. Hunc nosocomii carcerem mecum aliisque cum auditoribus ex Magistratus desiderio ingressus Cl. Ettmüllerus inquirerebat in fœcundationis tempus atque in gravidis familiaria symptomata, & audacius quam par est ferocius.

ciusque ad interrogata respondenti indicabat, ventris inspectio-
ne hic opus esse. Sed nocte ex abjectis linteaminibus pulvi-
nulisque, quibus involverat abdomen, socia cognovit atque
patefecit fraudem. Plura exempla brevitatis ergo non addu-
cam: qualia' cum obvia sint valde, profecto Medicus signo-
rum prægnantiae tam pathognomonicorum, quam aliorum
probabilium notitia instructus sit necesse est, ut quoties ejus à
Magistratu Politico de imprægnatione, quam mulier suspecta
allegavit, postulatur sententia, in promptu habeat, unde gra-
viditatem veram a simulata discernere valeat. Primo autem
& secundo a coitu mense vix certi quid de casu suspecto pro-
nuntiari potest; indicia enim tunc non nisi ex affirmantis con-
fessione mulieris habentur, & ita sunt comparata, ut ab ipsis
subinde gravidis vel leviter admodum & confuse vel prorsus
non, a non gravidis etiam imaginarie interdum, advertantur,
ac proinde in conceptione ac graviditate ficta dijudicanda lo-
cum neutiquam inveniunt. *Hippocrates* quidem ad exploran-
dum, num mulier conceperit nec ne: *Aph. 47. Sez. V.* illi in-
coenatae & jamjam dormitoriae melicratum ut propinetur sua-
det, unde si tormina circa ventrem orientur, prægnantem
illam: si vero minus, non prægnantem esse infert. Ast quo-
nam mel cum aqua vel vino mixtum illi inaduetis tam fe-
minis sive gravidæ fuerint sive minus, quam viris, facile, le-
cti præprimis accedente calore, tormina concitat, assuetis ve-
ro, tono viscerum firmo modo gaudeant, nulla movent: ex-
perimentum illud ceu falsum erroneum nullique innitens ra-
tioni merito rejicio, una cum aliis hujus farinæ artificiis ac si-
gnis fallacibus falsoque præsupposito fultis, ad paulo proba-
biliora nunc indicia me vertens. Quo pertinent pica, mala-
cia, nausea a certis quibusdam vel omnibus cibis, nec non
matutini vomitus post cibum sumptum cessantes, lipothymiam

F

vero

vero comitem habentes, ni ocyus comedatur jentaculum. Quæ phænomena licet sâpe sâpius aliquot a coitu diebus observentur in gravidis, hincque si cum aliis & antecedentibus & consequentibus indicis conjunctim compareant, & aliquo intercurrente intervallo post unam alteramve septimanam redant, satis probabiliter conceptionem indicent: tamen quia hæc omnia ingravidationi neque soli, neque semper, sed & intactis virginibus interdum & viris, nunc ex definito gastrici liquoris vitio nunc consuetudinis aut educationis pravæ culpa, competunt; ab horum præsentia sola ad graviditatem, & ab absentia sola ad graviditatis simulationem non valet consequentia. Probabile quoque conceptionis facta præbet signum tributi lunaris suppressio. Ordinario enim naturæ cursu, simulac mulier concepit, consuetus catameniorum fluxus fistitur, & sanguinis exuberans copia partim in foeturæ nutrimentum convertitur, partim ad arterias mammarias ruit & latâs confectioni inservit, quo tenellus in lucem emissus fontes habeat, e quibus succum hauriat alibilem. Ut ut autem negandum non sit, interdum fluxum istum primo & secundo graviditatis mense adhuc vigere, imo subinde ad medium gestationis tempus & ultra durare: id tamen non nisi subjectis vel valde plethoricis, vel scorbuticis aliove morbo affectis accidere, quivis harum rerum gnarus mecum facile fatebitur, & illis quidem, foetu plerumque permanente salvo, his vero summo cum embryonis detimento, utpote quorsum illud Hippocratis quadrat effatum: *scđt. V. aph. 60. Si mulieri in utero gerenti purgationes (menstruæ) prodeant, fatum sanum esse, impossibile.* Quis vero nescit, a terrore quoque ac more gravi aliisque causis menses posse supprimi? Evidem non prorsus destituimur signis, quibus mensium suppressionem naturalem in gravidis a morbo distinguiamus. Ast quoniam

niam & variae morbificæ causæ graviditati se interdum mi-
scens, & insuper catamenia non suppressa, sed suetum huic
usque observantia typum, suspecta quidem valde sunt, vasis
præsertim sanguine non supra menfuram distentis, simulationem
nam tamen nondum manifeste atque certo arguunt: consul-
tius profecto erit, tamdiu rem in suspenso relinquere, dum
plura sese indicia prodere solent, ex quorum præcipue con-
junctim sumtorum præsentia, si non semper certo, certe sum-
me probabiliter prægnantem uterum conjiciamus, ex absen-
tia vero argumentis omni luce clarioribus graviditatis simula-
tionem concludamus. Nimirum tertio a coitu mense abdo-
men pedetentim intumescere incipit; qui tamen tumor non
totum secundum omnes dimensiones occupat abdomen, sed
circa umbilici lineaæque albæ duntaxat regionem observatur
nonnihil acuminatus mollisque attactu, & lentum non tumul-
tuarium capiens augmentum, lateralibus & inferioribus infi-
mi ventris partibus depresso magis existentibus, unde a mor-
bosis intumenti facilis negotio distinguitur. Quapropter
sane suspecto in casu, ubi jam quartus a conceptione allegata
agitur mensis, inspectio ventris ab obstetricie est instituenda,
præsente vel Medico vel aliis utriusque sexus personis fide di-
gnis; quo innotescat, utrum multis linteorum circumvolu-
tionibus abdominis tumor crasse effingatur, an plane nullus
ad sit vel morbosus, vel determinatus & graviditati essentiali-
ter competens. Sed ponamus, tumorem conspici non solum
circa umbilicum, verum totam occupantem regionem abdo-
minis: putasne intumentiam talem indiscriminatim gravi-
ditatem allegantem ream simulationis convincere? Hoc ego
non facile assenserim. Namque & cum ascite & cum tympano
graviditatem posse complicari, nemo fortassis in dubium
vocabit. Hydropicam certe Lipsiæ vidi, qua ob pauperiem

F 2

in

in nosocomium recepta aliquot post menses puerulum perfecte sanum partu excludebat; puerperam vero quinto a partu die mortuam Cl. Dn. Ettmüller permissu cultro Anatomico subieci, multumque extravasati in abdominis cavo seri flavi conspexi, & cordis e ventriculo sinistro concretionem polyposam diaphanam extraxi. Et *Platerus L. III. Obs. 620.* posteritati prodidit, foeminam quandam, quoties uterum tulit, toties asepte laborasse. Sexto vero mense gravidarum mammæ lacte sensibiliter replentur, intumescent, & compressæ, non raro substantiam chylosam stillant; unde sicuti mammarum ex toto deficiens tumor uteri non imprægnati certissimum, ita intumescentia earum cum reliquis indicis conjuncte præfens veri simillimum graviditatis nobis signum suppeditat. Neque hic silentio prætereundus est ipsius embryonis motus, qui si perfecta foetus fruatur sanitate, quarto vel quinto uteri gestationis mense adeo manifeste sese exerit, ut manus abdomini imposita tactu eum queat percipere, ac proinde indicium graviditatis haud postremum nobis præbet. Distinguendus autem probe est hic motus ab illo, qui a flatibus aut a spasmodico affectu oritur. Videlicet verus embryonis motus fit cum impetu quodam, mox vero desinit rursus, & aliquo temporis spatio interposito reiterat, cum convulsivi ac spasmodici motus longe diutius continent, illique a flatibus excitati vagi sint simulque cum murmure fiant. Ponamus ergo, menses jam deficere, conspici ventris intumescentiam peculiarem lentum capientem in dies singulos augmentum, turgere mammas & manu pressas lacteum liquorem fundere, motum quoque subsentiri in utero abdomen tangentis manum ferientem: sane tunc nemo non concludet, fetus delitescere in matrice. Medici interim fama maligno sermone carpi atque lacerari non debet, si quando, his uteri gestationis effectionia-

tialibus præsentibus signis, inobservabili frustretur errore, dum sueto partus termino elapsò nullum in lucem edi foetum videt. Occurrunt enim in præxi interdum morbi gravitatem adeo exacte mentientes, ut ne Oedipus quidem latentem sub gravitatis larva morbum hariolari, huncque ab illa dijudicare valeat. Et hoc in primis referri merentur Molæ magnitudine insignes, & particulares tubarum Fallopianarum, Ovariorum, ipsiusque Uteri Hydroperæ. Conf. Ephem. Nat. Cur. Cent. VI. obs. 74. it. Dn. Abr. Vateri Diss. de Graviditate apparente ex Tumoribus Ovarii dextri enormi orta &c. Vitemberga 1722. & Experi-
rientiss. Dn. Dr. Schacheri Diss. de Virgine ascitica post Paracenthe-
sin Purpura maligna extincta Lips. 1725. habita.

Th. XXIX.

Paucis quoque nunc attingendus erit rarissimus ille casus, Simulatio qui in vicinia nostra Ann. 1725. contigit; ubi *uxor rustici* pau- Partus, percula se gravidam esse imaginata sibi fuit; simulac vero ex Puerperii partus præterlapsa termino & subsidente antea conspicuo abdomi- Superfæ-
nis tumore persuasionem suam fuisse falsam cognovit, ne per ri- tationis.
sum atque jocum ab aliis contemneretur, simulavit partum atque puerperium, a meretrice egena filiolam recens natam precibus ob-
tinendo, supponendo, proque suo foetu verificando. Post aliquot vero septimanas se revera utero gestare sensit, quod aliis quidem patescit, ita tamen, ut fraudem circa partum priorem commis- sum occultaret, cunctis insuetam hanc atque rem rarissimam mi-
rantibus. Et gravida re ipsa fuit: nam quinto post pretensum atque siendum partum mense sub veris partuum doloribus siflolata in lucem edidit, prout omnes crediderunt, superfatatum. Neque enim aliter existimare quisquam poterat; & sane fraus hujus mulieris recta sine dubio mansisset semper, nisi meretrix tandem, cu-
jus suppositius erat infans, cum repetiisset, & inquieta se veram ejus matrem esse indicasset, sicque inquisitorio judicio & patesca-

ctioni fraudis subministrasset ansam. Qua vero hæc mulier calliditate rem suam egerit, quibus mediis fuerit usa ne obstetrix post foetum prætense exclusum accedens, ne maritus in vicino pago degens accerfitus, ne domestici aliive imposturam subsentirent, reliquaque circumstantias nosse qui cupit, adeat & evolvat *Dn. Patris Dissert. Epistolicam de Superfætatione falso pretensa ad Cl. Dr. Loffavium perscriptam & typis expressam Hamburgi 1727.* Decepti autem hic fuere onines astutia mulieris. De suppositio enim cogitandi foetu causam satis justam habebat nemo; siquidem & superfætationem esse possibilem a ratione non abludit, & aliquando eam contigisse experientia testatur. *vid. Diss. cit.* Quæstio igitur movenda foret, quomodo fictus partus a Medico sit detegendus? Verum, ut ingenue fatear, nisi vel obstetrix aliive ex abdominis non adeo peculiari, qualis competere gravidis solet, prægresso tumore, ex genitalibus conspectis, ex lactis defœtu in mammis, aliquam suspicionem simulationis ceperint, & Medico hæc accurate indicarint, detectio talis fictionis medicinam profitenti est impossibilis.

Th. XXX.

*Abortus
simulatus.*

Ultimo loco sub simulationis morborum titulo breviter stricteque de Abortu sicut allegato etiam agendum esse arbitror. Si quidem exempla prostant, puellas æque ac mulieres, vel poenæ cujuscunque avertendæ aut saltim differendæ causa, vel ut alterius, quem effecisse abortum mentiuntur, famæ atque vitæ periculum struant, partum præcocem atque immaturum simulasse. Certe Rodericus a Castro Medic. Polit. L. IV. cap. IX. p. 251. refert: *Scortum aliquod famosum, cum anno 1588. Olisippone relegaretur, & triremes, quibus veki debebat, essent in procinctu, mixtura ex latte & sanguine per lectum diffusa abortum simulasse.* Aliud exemplum videre est apud Petr.

Bo-

Borellum hist. & obs. 79. Cent. IV. p. 339. Et in non procul di-
stante ab urbe nostra prædio quodam paucos ante annos ru-
stici cuiusdam uxori iuslu Domini in carcere detenta vinculis
constricta, se sub finem tertii a conceptione mensis passam
fuisse abortum asseruerat, in qua vero breviter post mortu a Pa-
rens instituta mox post obitum sectione neque abortus facti
neque imprægnationis ulla vestigia reperiit, unde satis patuit,
illam abortivum partum simulasse. Cujus observationis oc-
casione cum jam Anno 1723. de Abortu facti signis in matris,
præsertim defunctæ, partibus generationi dicatis reperiundis Differ-
tiationem sub Patris Moderamine defenderim: licebit nunc mihi,
quæ ibidem fusi sunt explicata, signa, omnem omnino pa-
ginam in simulato abortu dignoscendo absolventia, silentio
præterire. Ex quibus tamen omnibus signis absentibus Medicus
reæte atque secundum conscientiam concludit, quoties si-
mulationis istiusmodi suspecta occurrit mulier, eam neque
abortum passam neque gravidam fuisse.

Th. XXXI.

Consideravimus hæc tenus morbos simulatos, & quomodo
sint detegendi illi, indicavimus: jam ordo postulare videtur, ut
in dissimulatos quoque disquiramus. Quemadmodum autem in
simulatis morbis sanitas dissimulari solet, sic in dissimulatis vel
hæc, vel alias plerumque, quam qui infestat morbus, simulatur,
idque vel commodi obtinendi vel damni avertendi gratia. Ex
quo conficitur, ad occultatum affectum detegendum magna
opus esse prudentia, & historiae morborum accuratissima co-
gnitione. Hinc duo potissimum media observanda Medico e-
runt, quibus fraudulentiam aperiat. (1) Judiciose indagare con-
venit, an quævis essentialia symptomata adsint, quæ morbo,
qui celari præsumitur, competit. (2) Dispiciendum, an in-
separabile quodpiam ab illo, quem æger falso profiteri vide-
tur,

tur, morbo deficiat signum. Scopus interim meus in præsen-
ti non erit, cunctos recensere affectus occultatos, cum nu-
merus eorum admodum sit magnus, sed eos duntaxat pro-
ponam, de quibus Medicus a Judice consultus dispicere tenet
ac testificari. Eos enim morbos propalare Medicum haud de-
cet, qui bonum & legitimum ob finem v. g. ne famæ asper-
gatur macula, ne retrocedat matrimonium &c. celantur ab
agrotis, qui Clinici curationi se concrederunt.

Th. XXXII.

*Maligni
morbi dis-
simulati.* Cauta quoque est mercandum Malignarum febrium i-
psiisque Pestis initio. Imprudentia foret insignis, si Medicus,
quamprimum unam tantum alteramve domum contagium oc-
cupat, statim multa de Epidemica gravissima lue blaterare ci-
vesque monere vellet, qui dubio procul metu ac terrore ex
hac relatione perculsi summo ad contagiosas febres ipsam-
que pestem contrahendam facilius dispositi fient atque pro-
cliviores. Prudentiae leges potius exigunt, eo tempore con-
tagium dissimulare, ne publico majus inferatur damnum.
Sed quando latius jam serpit malum, multasque jam ædes in-
vasit vel Pestis vel Petechialis febris vel Dysenteria epidemica,
nil amplius est celandum, sed omnis movendus lapis, ut ma-
lum præcaveatur, utque eliminetur ex urbe contagium.

Th. XXXIII.

Dissimulantur porro foedi sæpius morbi, scabies præci-
pue, scorbutus, Gallicaque lues, ne fama patiatur labem, ne
ve honores impetrandi aut spes conjugii optati abeant in auras.
Quare vel obliquam duntaxat opem a Medico exposcent ca-
pitis dolorem alvique obstrunctiones se pati conquerentes,
putantque obtento cathartico remedio omnes impuritates
sanguinis simul ac semel posse e corpore educi; vel pachio-
nem cum illo faciunt de non divulgando affectu. Et certe tali
in

in casu Medicus taciturnitatem omnino debet servare, nisi & ipse existimationem suam velit perdere apud alios, & ægros suæ fidei concreditos in famæ adducere pérículum. Potius, si prudens est, alio, minus fecdo, ægrum suum laborare simulabit morbo, id quod ipsi difficultatem haud pariet assérere. Nam v. g. si lue Gallica infectus salivationis sustinet curam, atque hæc methodus curationis aliis quoconque modo innotuerit: integrumne Medico est relictum asseverare, non affligi ægrum Neapolitana labé, sed desperata paralysi, aut amaurosi, in quibus tollendis malis salivatio pariter extreum sit refugium?

Th. XXXIV.

Sed è diverticulo in viam. Lubet nunc de Lue Venerea *Lues Galli*- dispicere, qnatenus illam interdum dissimulant in conjugio *ca diffimu-* viventes, ne judices vel mariti vel uxoris querulis delationi- *latz.* bus moveantur, ut curent conjugium dissolvi divortio. Cau- te hic ac circumspœte se gerat necesse est Medicus a Magi- stratu Politico in consilium vocatus, ne scorbuticos pro lue venerea affectis venditet, sive miseris injuriam faciat. Magna enim cognatio impuræ huic labi cum scorbuto, inveterato præsertim, intercedit. Quapropter indicia quævis intime per- specta cognitaque esse debent, quibus utriusque affectus di- screpancia manifestari queat. Nimurum scorbutus dolores excitat inconstantes admodum atque hinc inde discurrentes, qui nunc caput invadunt, nunc co relictio in artus discedunt, iterum in alias partes delabuntur, frequenterque sedem suam mutant. At dolores venereæ luis, quo semel tyrannidem suam exercuerunt loco, ex eo non facile discedunt, sed actis altius radicibus diu admodum constanterque torquent atque affligunt; & vespertino præterea tempore, quando se reci-

G

pi-

piunt in lectum ægrotantes; insigniter exasperantur, quod in scorbuto observare non solemus. Neque minus cephalalgia quidem saepè scorbuticos invadit; quæ vero iterum subito re-eedit. Iuue Gallica autem capitis dolor est magis fixus, simulque vespertino ac nocturno tempore insigniter exacerbatur; in progressu quoque mali dolores fixi nucham, brachia eruraque articulationes inter misere infestant, noctu augmenta capientes, a quibus scorbutici immunes relinquentur. Scorbuticis et si in variis externis faciei partibus pustulae efflorescant, ea tamem iterum vel sponte evanescunt. Contra venerea in iuue partes faciei nariumque interiores potius inficiuntur & exerciantur. Quantumvis & scorbutici non semper plane ab ejusmodi ulcusculis in partibus interioribus sint liberi. Ita recordatur Cl. Schacherus in Colleg. Pract. MSio cap. de Scorbuto puellæ, que ulcere narium laborabat, & decoctis lignorum trætabatur, bene ceterum valentis, nec aliis consuetis venereæ luis symptomatibus afflictae. Meminit etiam ibidem Idem Celeberr. Auctor viri cuiusdam Generosi, cui pustule in membro virili exorte erant, que cum improvide sinistreque essent tractatae, inflammabatur scrotum, atque in glande foraminula conspiciebantur, neque tamen cephalalgia, neque exanthemata, neque artuum dolores, neque topi nodique observabantur. Unde profecto ini-
quum fuisset, has personas in luis venereæ suspicionem ad-
ducere. Hæc enim frequenter ejusmodi nodos tophosque complicatos habet, qui a scorbuticis semper abesse contineverunt, nisi & iidem podagra simul laborent. Nec illæsa plane genitalia deprehenduntur eorum, qui malo Neapolitano sunt affecti, cum variæ erosiones, exulcerationes, bubones ingui-
num, inflammations testium, imo ipsa gonorrhœa virulenta, & in sexu sequiori fluor albus animadvertantur. Interim scorbutus impuro accidente concubitu vel contagio ob praedi-

dispositos humores facile mutatur in hanc luem. Quibus rebus ita habentibus in casu suspecto haec omnia non solum probe sunt rimanda & examinanda, inspectionem administrante in praesentia Medici obstetricae aut Chirurgo, sed simul inquirendum est in vitam anteactam omnesque circumstan-
tias, ut innotescat, utrum ex impuro concubitu, an ex im-
proviso sit contractum malum. Sciendum præterea & hoc
est, eam venereæ luis speciem, quæ a coitu impuro oritur,
cognitu longe esse faciliorem, quam illam, quæ sine con-
cubitu contagioso initium sumit; hic namque non inchoat
malum a genitalibus partibus, quod in priori specie semper
contingit. Denique cum saepè cum callidis in dissimulando
& negando nobis res sit, callide etiam se Medicus gerat in
examine quæstionibusque suis. Non enim interrogatio di-
recta veram responsionem facile elicit, sed ad obtinendum
scopum sciscitationes indirecte potius formandas erunt. At-
que ut brevibus me expediam: Capitis, nuchæ, artuumque
inter & circa articulationes, dolores fixi stabilesque, & ve-
spertino nocturnoque tempore graviter exasperati signum
luis Gallicæ inseparabile constituunt. Quare ex his præsen-
tibus, non neglegatis tamen reliquis indiciis, suspicionem de
morbo occultato haud fuisse vanam, satis superque cognoscitur.
Ponamus vero, ægrum nil quicquam de augmento
dolorum circa definitum illud tempus scire velle, sed id au-
daacter atque pertinaciter negare: supereft, ut observetur
probe, quænam ægri circa vespertinum & nocturnum tem-
pus tam corporis quam animi sint actiones, & quomodo hæ-
cum diurnis, matutinis præcipue, horis corrispondent, an
die sit agilior, vesperi vero inquietior? an noctu firmius de-
liget caput, quam tempore diurno? item, an anxiis gemi-
tibus interturbetur somnus? Quæ omnia cum corporis, in-

enedit

G 2

spe-

specione perlustrati constitutione, collective sumta Medici renunciationem facile determinabunt.

Th. XXXV.

Scorbutus quoque, Gonorrhœa, Fluor albus, Ulcera, Epilepsia, variaque Deformationes, variis de causis sèpius celantur & negantur ab ægrotis. Verum cum horum morborum detectio Medico nequit esse difficilis, de iis prolixum instituere sermonem supervacaneum foret. Necessem interim quandoque erit, ratione diuturnitatis, qualitatis, materiae, causæ morbificæ, nec non prognoseos in hos affectus paulo accuratius inquirere, ut quid de curatione sit sperandum appareat. Gonorrhœam & Fluorem album speciatim quod attinet, sedulo inquirendum, utrum virulentia quid alant, an secus? utrum cum erosione partium genitalium complicantur, an sine illa contingent? utrum denique conceptioni obfuturi sint hi morbi, an vero minus? Neque de pueris deformationem faciei, varos, lentigines ut celent, nunc coloribus atque pigmentis oblinientibus seu polluentibus potius, nunc exiguis emplastellis totum sistema mundanum, vel carpenta, vel philosophicas bullulas in fronte atque genis mentientibus, nunc cuteum mercuriali aqua frequenter abluentibus, eam tamen magis inde defœdantibus, noxamque dentibus, sanitati, imo interdum vita inducentibus, multa habeo, quæ dicam, nisi in illas merito quadrare notissimum versiculum *Oweni*:

*Quæ pietas geritis facies, vos jure potestis
Dicare cum Flacco: pulvis & umbra sumus.*

Th. XXXVI.

*Læsa Vir-
ginitatis*

Quoniam porro ad Virginitatem ementitam a vitiata liberatamque a laesa discernendam Judices Medicorum explorations

tiones ac renunciations nonnunquam postulant, e re omni- *Dissimula-*
 no erit, de virginitatis integræ ac læsæ notis breviter dispice- *tio & Si-*
 re. Optimum autem (nisi fucum subfuisse maritus demon- *mulatio*
 strare queat,) & teste S. Sra. Deuter. cap. XXII. infallibile vir- *amisse.*
 ginitatis illibate hæc tenus servatae signum cruentatio est lin-
 teorum a hymenis dilaceratione orta, primique concubitus
 tempore cæteris paribus se manifestans. Sed licet virginita-
 tis physice considerata certissimum & indubium sit signum
 hymenis existentia, & vasculorum per circulum hunc mem-
 branaceum sparsorum primo cum mare congressu ruptorum
 stillicidium cruentum: ex utriusque tamen absentia non apo-
 diстice inferri potest, puellam se jam antea cum viro copu-
 lassè; cum nemini ignotum esse credam, ab aliis etiam cau-
 sis hymenem posse lädi ac dilacerari, salva interim manen-
 te virginitate morali. Neque vero stillicidium sanguinis
 præsens nos semper certos reddit de virginitate illibata; mul-
 tas norunt technas puellæ, quibus sexum potiorem decipi-
 ant, quas nisi evidenter cognoscamus in auxilium fuisse vo-
 catas, ad dignoscendam virginitatem illibatam Oedipo con-
 jectore opus videtur. Legi de artificiis hisce meretur Job.
Bapt. Sylvarius Lib. de his qui morbum simulant. cap. IX. Fort.
Fidel. de Relat. Med. Lib. III. cap. I. & Hæchstetterus Decad. III.
Obs. V. in Scholio.


Th. XXXVII.

Detectio denique Graviditatis occultatae, haud infre- *Dissimula-*
 quenter occurrentis, ex iisdem depromenda erit signis, sed *tio Impre-*
 præsentibus & collective sumendis, ex quorum absentia si *gnationis,*
 mulatam imprægnationem judicari Th. XXVIII. docui; habito *Abortus, &*
 simul respectu ad gestationis tempus, & ad hymenem, si ad *Partus.*

in-

inspectionem ventris veniatur. *Consil. Dissertat. Inaug. Dn. Chalybei de Ingravidatione Disimulata & Disimulandi Mediis sub Präsid. Cl. Abrah. Vateri Vitemberge 1724. habit.* Disimulationem vero partus tam maturi quam præcociis præcipue quod attinet, eorum indicia poterunt desumi ex *Dissert. in Th. 30. allegata*, ad quam brevitatis ergo B. L. nunc remitto. De Abortu speciatim adhuc moneo, necessum quoque esse, in causas antecedentes probe inquirere, nec non rationem temperamenti ac constitutionis foeminae habere, ut innote- scat, utrum is studio fuerit aut arte concitatus, an involun- tariæ acciderit. Quare etiam adhibita media considerare o- portet, an indolis & efficaciae suæ dōscosye intuitu exturbare fœtum ex utero petue- rint.

S. D. G.



ULB Halle
004 367 324

3





DISSE²⁷
RAT^{1728,1}
TIO INAUGURALIS
MEDICO-FORENSIS,
DE
**MORBIS SIMULATIS
AC DISSIMULATIS,**
QVAM
DEO AUXILIANTE
IN ILLUSTRI CHRISTIAN-ALBERTINA
PRAESIDE
PRO-RECTORE H. T. MAGNIFICO
**DN. CAROLO FRIDERICO
LUTHERO,**
MEDICINÆ DOCTORE ATQVE PROFESSORE
LONGE CELEBERRIMO
PATRONO AC FAUTORE SUO ÆTATEM VENERANDO,
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS AC PRI-
VILEGIIS LEGITIME AC RITE CAPESSENDIS,
DIE XXVII. NOVEMBRIS ANNO M DCC XXVIII.
H. L. Q. C.
PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
**WILHELMUS HENRICUS
S. Saltdschmidt.**
KILIAE,
LITTERIS REUTHERIANIS.